

B. h. II, 114. X 187 9280 27.

A. 26, 2.

EXERCITATIO ACADEMICA

De

CURSU PUBLICO
EJUSQUE JURE,

Rom Post = Recht/

Quam

ADSPIRANTE DIVINO NUMINE

Permissu

AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

In perveteri ac Celeberrima

Helvetia Academia

PRÆSIDE

DN. SEBASTIANO FESCHIO,

J. U. D. Institut. Professore Ordinar.

Patrono & Præceptore suo sempiterna
veneratione colendo

d. 12. Sept. A. C. CI^o I^o C LXXXIV.

Horis solitis

Amicis congressu publico præbet
excutiendam

FRANC. GUALTERUS BURCKHARD,

Ulmensis, Auctor.

BASILEÆ

Typis JACOBI BERTSCHL.

II k
2858

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
CURSU PUBLICO
EJUSQUE JURE

ADSPIRANTE DIVINO NUMINE
FERTISSIMO
AMPLISSIMO ET OTTIMO ORDINE
Auctoritate et Consensu
Illustriacissimi



FRANC. GUASTALTIUS BERGHAARD,
Ulmanis, Auctor.

Typis Jacobi Bartschii

ob
me
qu
lud
ver
rom
ver
tis
ter
fac
te
blic
&
nos
jur
pau
tun
bid





Q. F. F. Q. S.

PROOEMIUM.



Ursus publici quanta se diffundat in omnes Reipublica partes utilitas, quanta sit ejus in commerciis exercendis necessitas, nemo est, ni fallor, tam in rebus humanis hospes, atque omni mentis lumine destitutus, qui non perspiciat. Quamobrem nulla mihi excusatione opus esse puto, quod hujus argumenti, jam ab aliis multifariam & operose recensiti, ego quoque suscipiam tractationem: ad quam me non modo tritum illud Græcorum, semel iterumq; repetenda, quæ pulchra sunt; verum etiam spes quedam stimulat, eam aliquantò planius & commodius, quàm hucusque factum esse memini, amputata illa rerum ἀπερὸς διὸν ὄρων hinc inde conquistarum farragine, supplementisq;, quæ vel ab historiarum scriptoribus commemorata, vel veteri novog; jure comprehensa, ad eam illustrandam apprimè faciunt, addo & meliore ordine, proponi posse. Mihi verò, ut ante omnia de instituti mei ratione constet, primùm in Cursus publici originem inquirere animus est, eademq; opera quid Persis & Græcis hac in re placuerit, strictim referre: hinc ad Romanos transire, & quanta istorum fuerit in hac commodi publici jurisq; parte tuenda & excolenda dexteritas atque diligentia, paulò accuratius exponere; ut exindè facta comparatione, quantum nostri à priscorum Romanorum moribus recesserint, lucu-

lentius appareat. Hac quippè præmunitione facta, ad hodierna tempora descendendum; & quod huius tractationis caput est, quid in Imperio Germanico receptum constitutumq; sit, Cursus publici, seu postarum, ut loquuntur, instituendarum tractandarumq; ratio, quibus earum sit commissa cura, quibus administrandis & instrumentis subnixæ, quibus juribus ac privilegiis sint munitæ, adjectis ubique, cum res postulare videbitur, etiam aliarum gentium, Gallorum imprimis, institutis, exponendum est: ea tamen ubique servata lege, ut non tractatum, qualem huius materie dignitas & amplitudo postulat, sed exercitationem Academicam, paucarum pagellarum terminis inclusam, scribere me voluisse appareat.

CAPUT I.

De prima origine Cursus publici, ejusq; apud Persas & Græcos usu.

Prima mundi ætate, cum forte sua contenti viverent homines, nec alienarum rerum cura vel cupiditate tangerentur, & intra suam cujusque familiam contineretur imperandi potestas, nunciorum Cursusque publici nullum usum fuisse apparet. At verò quàm primùm potentiorum imperium subire gentes, & regna condi ceperunt, quin Cursorum publicorum officium, qui mandata Regum ad provinciarum rectores, & ad extremas regnorum oras, velociter deferrent, ab iisque vicissim, quæ scitu digna arbitrabantur, ad Reges referrent, necessitas invenerit, dubitare non licet. Quare nec Deorum suorum imperio peculiare nuncios, qui jussa eorum quàmocysimè perferrent, deesse voluerunt Gentiles. Id enim muneris Mercurio & Iridi, ἡτὲ θεοῖσι μεταγγελοῖσι ἀθανάτοισι, tributum ab Homero, quem & reliqua turba poëtarum est secuta. Hinc illum talaribus, petasoque pinnatis ad indicandam cursus celeritatem, & nunciorum ac tabellariorum præsidem, finxerunt antiqui. Quæ doctrina ab Ægyptiis haud

haud dubiè profecta, qui ex Judæorum Theologia didicerant, spiritus esse, seu dæmones, qui DEO ministrarent, ab ejus nutu penderent, & promptè, quod juberet, expedirent: qui, quòd ad priorum salutem, & divinam voluntatem nunciandam emitti soleant, ἀγγελοι, *angeli*, id est, nuncii, sunt dicti, *Hebr. I. ult.* Nihil tamen à quoquam priscorum Regum de nunciis cursuq; publico disertè cautum reperimus ante Cyrum, Persicæ Monarchiæ conditorem; quem, ut citissimè cognosceret, quicquid etiam in remotis regni partibus ageretur, per terrarum intervalla, singulorum dierum itinere distincta, stationes equorum & virorum instituisse, qui parati diu noctuque starent ad excipiendum cum literis proximum cursorem, atque ita submissis subinde in locum defatigatorum recentibus equis ac veredariis incredibili celeritate undique advolarent & ablegarentur nuncii, auctor est Xenophon *Lib. IIX. κυροπαιδ.* Addit etiam Herodotus *Lib. IIX*, ubi Xerxem exercitus sui cladem, in Græcia acceptam, in Persidem per ejusmodi cursores nunciasse scribit; nihil iis in rebus humanis terrarum spatia decurrere velocius, neque vim nivium, nec imbrem, nec æstum, neque noctem intempestam retardare cursum illorum posse; hunc autem à Persis *angaria* vocari, τῆτο δὲ τὸ δρόμημα καλέσσι Πέρσαι ἀγγαρηιον, vel ἀγγαρηιον, & ipsos hos Regum nuncios seu tabellarios, τὰς ἐκ διαδοχῆς βασιλικὰς γραμματοφόρους, *angaros & bastandas* à Persis nominatos fuisse, Hesychius & Suidas in Lexicis, Eustathius aliique Scriptores tradiderunt. Horum etiam cursorum Persicorum, qui Regum mandata quàm celerrimè in omnes regni provincias perferebant, in *Estheris libello* fit mentio, *cap. III. & IIX*. Atque hoc quidem Persarum institutum utcunque probarent Græci, non tamen unquam videntur esse imitati, eam fortè ob causam, quòd non unius imperii subjecti, sed in diversas civitates aliis atque aliis legibus ac moribus instructas, & continuis inter ipsas dissidiis agitatae, essent divisi. Suis tamen non caruere cursoribus,

qui ad Persarum exemplum ingens uno die spatium emetic-
bantur, quos ἡμεροδρόμοι, quasi diurnos cursores, aut unius diei
iter continuo cursu conficientes, appellabant, quorum præ-
cipuus usus in bello, in rebus hostium explorandis, & eorum
statu raptim suis nunciando, fuisse videtur; ideoque illos *spe-*
culatores vocat Livius *Lib. XXXI. cap. XXIV.* & cum his etiam
conjungit Aristoteles *de Mundo*, cum de regia Persarum lo-
quens ait; ἡμεροδρόμοι τε καὶ σκοποὶ καὶ ἀγγελιαφόροι. Cæterum
cursores istos Græcorum aut equis usos, aut per certas statio-
nes mutatos fuisse, quemadmodum apud Persas, & postmo-
dum apud Romanos fieri solebat, non reperimus. Planè juve-
nes illos fuisse, Regum ministerio addictos, qui pedestris cur-
sus velocitate præstabant, innuit Suidas in voce ἡμεροδρόμοι, &
Plinius *Lib. II. Histor. Natural. cap. LXXI. & Lib. VII. cap. XX.*
tibi de mira celeritate horum cursorum singularia quædam
recenset.

CAPUT II.

De origine Cursus publici apud Romanos, & quantum eo provinciales fuerint gravati.

Ut igitur ad Romanos jam transeamus, quorum summa fu-
it in ordinando Cursu publico diligentia, *primò omnium ini-*
tium ejus & auctorem, de quo discrepare videntur rerum scri-
ptores, indagemus. Libera quidem Republica Cursus publici
nullam mentionem factam invenimus: quamvis jam illo
tempore equos equitesve in provinciis per locorum interval-
la disponere moris fuerit, quibus Consules alique Imperato-
res, ad bellum gerendum cum exercitu missi, quæ opus essent,
Romam, vel sociis ac vicinis Regibus, celerrimè nunciarent,
atque inde rursus, quæ vellent, cognoscerent. Hinc cum L. Sci-
pio, postea dictus Asiaticus, Consul adversus Antiochum in
Asiam transiturus esset, ut prius mentem Philippi Regis Mace-
doniæ exploraret, Tiber, Sempronium Gracchum acerrimum
tum

tum juvenem, præmiffit, qui per dispositos equos propè incredibile celeritate die tertio ab Amphiffa, inde enim dimiffus est, Pellam pervenit, ut fcribit Livius *Lib. XXXVII. cap. VII.* Sic Messanam Gallia oppidum in C. Caffii potestatem concessuram fuisse, nisi nuncii de victoria Cæfaris ad Pharfalum per dispositos equites fuiffent allati, ipse Cæfar testatur *Lib. III. cap. CI. de Bello Civ.* cùm scripiffet paulò superius, Vibullium omnibus oppidis, mutatis ad celeritatem jumentis, ad Pompejum contendiffe: jumenta verò ista à privatis elocari solita fuisse, infra dicemus. Sed aliis in rebus ignotus fuisse videtur illis temporibus iste dispositorum equorum usus. Planè jumenta ad Cursum publicum disposita nulla fuisse, docet illud Livii *Lib. XLII. cap. I. Legati*, qui repente aliquò mitterentur, singula jumenta per oppida, iter quo faciendum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Hic liberae fluctuantisque Reipubl. status fuit: sed ea conversa cùm Augustus cuncta discordiis civilibus fessa sub imperium nomine Principis accepiffet: inter alia recentis potentia firmandæ remedia, quò celerius ac sub manum annunciari cognoscig. posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis per militares vias: de hinc vehicula disposuit: commodius id visum est, ut qui à loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent, auctore Suetonio in *Aug. cap. XLIX.* Eoque Cursu Tiberius Cæsar usus, ad Drusum fratrem in Germania graviter decumbentem properans, unius diei ac noctis spatio tribus vehiculis longissimum iter est emensus ut refert Plinius *Lib. VII. Histor. Natural. cap. XX.* & Valer. Max. *cap. V. Exempl. III.* Et hunc morem, ut tam vasto Imperio continendo necessarium, sequentes etiam Imperatores servasse, Plutarchus in *Galba* docet: ubi & curam expediendi cursus illius vehicularis singularum civitatum magistratibus incubuisse scribit: quod quoniam illis admodum grave fuit, ob difficultatem animalia derepente conqu rendi & à municipibus extorquen-

torquen-

torquendi, optimus quisque Princeps provincias eo onere sublevare studuit. De Nerva quidem locuples testis est ejus nummus, quem inter plures alias veteris elegantiae reliquias vidi in musæo Dn. Præsidis, juxta duas mulas pascentes, hac inscriptione insignem: VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA. Hadrianus autem, vel si Victori credimus, Trajanus, primus Imperatorum *Cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere gravarentur*, ut Spartianus tradit in *Hadr. cap. VII.* Voluit igitur, ut fiscus omnem publici Cursus curam deinceps susciperet, suisque impensis animalia in illum usum parata in provinciis aleret. Neque tamen hac ratione omninò provincialibus consultum est, à quibus, quod in instructionem Cursus publici & animalium sustentationem erogabat fiscus, vicissim exigere solebat. Unde Capitolinus Antoninum Pium *vehicularium Cursum summa diligentia sublevasse* scribit, *cap. XII.* collationem nimirum eo nomine exigi solitam minuendo, & paucis evectioem concedendo. Tandem & Severus *cùm se vellet commendare hominibus, vehicularium munus à privatis ad fiscum traduxit*, ut Spartianus loquitur in *Severo cap. XIV.* ubi haud dubiè per munus vehicularium intelligenda, non solum Cursus publici procuratio, sed & collatio à privatis ejus rei causa fisco præstari solita. Quanquam hoc institutum à sequentibus Imperatoribus non fuerit retentum. Constantini certè tempore Cursus vehicularis curam personale munus fuisse, id est, onus à privatis quidem, sed opera sua tantum & corporis ministerio, sine ullo rei familiaris dispendio, præstandum, docet Charisius JC, Constantinopolitanus in *l. munerum 18. §. 4. de muner.* Sub idem tempus animalibus, Cursui publico destinatis, pabulum è fisco subministratum fuisse, patet *ex leg. 23. in fin. Cod. Theod. de Cursu publ.* Verùm illud provinciales fisco conferre tenebantur, non in specie quidem, sed in pretio seu æstimatione, quam rigidissimè & periniquè plerumque mancipes & apparitores exigere solebant, ut li-

ut liquet ex *l. 18. C. de Curs. publ. l. 60. & 64. C. Theod. eod.* & confirmat Symmachus *Lib. II. Epist. XXVII.* Hinc querela Sex. Aur. Victoris in Trajano; *Munus Cursus publici satis utile in pestem Orbis Romani vertisse posterorum avaritiam insolentiamq.* Interdum & extra ordinem ad reparationem Cursus, velut ad complendum animalium numerum, aut reficienda stabula aliquid postulatum collatumque fuisse, indicat *l. 7. C. b. t. l. 34. & 42. C. Th. de Indulg. debitor.*

CAPUT III.

De stationibus, stabulis, animalibus, & vehiculis, ad Cursum Romanorum publicum pertinentibus, & de Cursus hujus distinctione in velocem & gravem, cujus species clabularis, & de navibus cursoria.

Cursus autem publici apud Romanos ea fuit ratio, ut per vias tantum publicas & regias, non militares aut transversas, quas & *canales* vocat *l. 15. C. Th. b.* minus vicinales, agi posset, *l. 3. C. Th. b.* ex qua miserè interpolata *l. 2. C. Just. eod.* Erant enim per illas vias in civitatibus, oppidis, ac vicis justis intervallis dispositæ stationes, quæ & mutationes dicebantur *l. 34. 36. 53. 58. C. Th. b. tit. Marcell. Lib. XXI.* & mansiones, *l. 1. 23. & 35. C. Th. b.* quarum frequens mentio in *Itinerario Antonini Pii*: ubi Principes iter facientes, Rectores provinciarum, milites, aliique, qui Cursu publico utebantur, divertere solebant, & animalia vehiculaque mutare, quem in finem stabula publica iis in locis erant constituta, in quibus certus numerus animalium huic Cursui aptorum publicis sumtibus ali solebat, *d. l. 7. C. & l. 34. C. Th. b.* quorum stabulorum etiam mentio fit in *l. 16. 17. 35.* (ubi receptacula animalium publicorum appellantur,) & *37. in fin. C. Th. de oper. publ. l. 13. C. Just. eod.* Animalia verò, (hoc enim generali nomine passim & Leges & sequioris ævi scriptores utuntur,) quæ Cursui huic inserviebant, non unius generis fuerunt. Primò erant equi, qui & *equi cursuales* dicuntur *l. 19. C. b.* quæ est *l. 64. C. Th. eod. Cassiod. Lib. IV. Var. Ep. XLVII.*

B

à qui-

à quibus distinguebatur parhippus, *παρίππος*: sic autē propriè vocabatur equus, qui præter veredum, seu equum cursualem concedebatur avertæ (das Jellesen) seu sarcinæ ferendæ causa. *l. 22, 27, & 29. C. Th. b.* Cassiod. *dict. loc.* Julianus *Epist. XX. & XXII.* Hanc enim genuinam significationem vocis *avertæ*, contra Budæi, aliorumque, qui ejus interpretationem amplexi sunt, opinionem, ex veteri scholiaste Horatii detexit Jac. Gothofr. *ad l. 48. C. Th. b.* *Averta est pera, seu mantica, ad vestes viatorias, aliave necessaria ferenda.* *ὑπομάχalon Basil. l. 56. tit. 17.* Hinc & avertarius interdum nuncupatus est parhippus, *l. 22. C. Th. b.* Quamvis etiam hoc nomine veniret equus, qui perperam usurpabatur, præter animalium numerum evectione comprehensum, ut ipse Julianus definit *in l. parhippum 4. C. b. l. 14. C. Th. cod.* Præterea inter animalia publica erant etiam asini, *l. 38. & 41. Th. b.* & boves, *l. 1, 11, 15. C. Th. b.* non quòd horum ad velocem cursum aliquis esset usus, sed ut oneri ferendo trahendisque vehiculis adhiberentur. Fuit etiam mularum frequens usus in Cursu publico. *l. 8. & 53. C. Th. b.* quod & Nervæ nummus suprâ descriptus confirmat: hinc muliones & mulomedici, de quibus *cap. seq.* Atque hæc animalia publica, quò rectius haberentur, Imperatoribus iter facientibus in oppidis & civitatibus solebant monstrari, teste Marcell. *Lib. XXI. in fin.* Julianus autem, si Socrati credimus *Lib. III. cap. I. Hist. Eccl.* summotis reliquis animalibus, solorum equorum usum in Cursu publico reliquit. Quæ tamen de re meritò dubitat eruditissimus Gothofredus *Comment. ad leg. 1. & 12. C. Th. b. tit.* Cæterùm cum *duplicis* generis esset Cursus iste publicus, vel *velox*, vel *gravis* seu *tardigradus*: *veloci* quidem, cujus non ferme meminerunt leges, inserviebant equi & mulæ. Ac primum quidem vehiculis tantùm, etiam ad velocem cursum, utebantur, ut ex *cap. præced.* colligere est: unde cursus vehicularis appellatio. Etenim sub posterioribus demum Imperatoribus receptum, ut cursus hic etiam equestris esset. Cum autem varia fuerint apud antiquos vehiculorum genera, hanc in
rem

rem id potissimum adhibebatur, quod *cisium* vocabant, quod ad iter celerrime conficiendum erat aptissimum, ut discimus ex Cicer. *Phil. 2. & pro Roscio Amer.* ubi, *decem*, inquit, *horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisus pervolavit.* Hic cum verbo plurali, *cisus*, utatur, non *cisio*, mutata saepius illa, cum iter esset longius, ac certis intervallis per civitates & oppida parata semper stetisse, locarive consuevisse, non male quis colligat: ea certe mercede elocari solita, & in contentione cursus non raro eversa fuisse, docet Ulpianus *in l. 13. in pr. locati*, ubi statuit; *si cisarius, id est, carrucarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, & servum quassavit, vel occidit, ex locato in eum esse actionem.* Hinc meritoria rheda, qua Julium Caesarem incredibili celeritate longissimas vias, centena passuum millia in dies singulos, confecisse scribit Tranquillus *cap. LVII.* Quin etiam tabellarios, quorum omnem industriam in celeritate cursus positam esse constat, vehiculis interdum usos esse, cognoscimus ex illo Petronii; *Forsan pernoctassemus in limine, nisi tabellarius Trimalcionis intervenisset decem vehiculis dives.* Veruntamen obtinuit tandem, ut cursus iste velox equis perficeretur, ut indicat Procopius *Lib. XI. de bello Pers.* cujus haec sunt verba: *Imperatores Rom. publicum & celerem quendam cursum hoc modo instituerunt: viro expedito ad iter diei stationes constituerunt, quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat. Quadraginta vero equi quavis mansione stabulabantur, & itidem hippocomi ad curandos equos erant destinati. Equi vero, quos ad conscendendum habebant, proprio nomine vocabantur *veredi*, quod infinita loca scriptorum inferioris aevi, pluresque leges Codicis Theod. declarant: *quanquam*, ut Festus scribit, *veredos antiqui dixerint, quod verberent redas.* Attamen a posterioribus Impp. disertè, & prudenter quidem, cautum invenimus, ne quis veredos, ut qui solum hominibus vehendis essent deputati, ad rhedas trahendas usurpare auderet. *l. 24. C. Th. h. ne scil. ad equitandum deteriores red-**

derentur, & solutim incedere dediscerent. Ab hac voce *veredarii* dicti, qui veredis utebantur, *l. 17. § 5. C. Th. b.* est & hinc ortum sine dubio vocabulum germanicum, *Pferd. Tardigradus* seu *gravis* Cursus vehiculis maximè peragebatur, quibus potissimum boves & mulæ jungi solebant. Vehiculorum autem, quibus ad Cursum hunc utebantur veteres, *non unum genus* erat: è maximis & capacissimis fuit *rheda*, quam leges sæpius *κατ' ἐξοχήν* vehiculum vocant; interdum & carpentum, ut *l. 18. C. Th. b.* huic quatuor equi, vel octo mulæ tempore æstivo, decem tempore hyemali, jungebantur, *l. 8. C. Th. b.* & erat *πῆλεάκων* seu quatuor rotarum, poteratque ei mille librarum onus, non amplius, imponi ex definitione Constantini, *d. l. 8. C. Th. b.* quam sequentes Imperatores, quòd interdum onere prægravarentur animalia publica, sæpe repetierunt, ut patet ex *l. 27. 28. 30. 47. § 48. C. Th. b.* Alterum vehiculì *genus*, cujus usus in Cursu publico, *carrus* fuit: cui sexcentarum librarum onus licebat imponere, non majus, *l. 47. C. Th. b.* Tertium *birota*, quæ & *birotum*. *l. 8. § 9. C. Theod. b. l. 2. C. Th. de Curiosis*, cui duæ vel tres mulæ jungi solebant, & ducentarum tantum librarum onus imponi, *d. l. 8. Quartum clabulare*, cujus mentio in *d. l. 2. C. Th. de Curiosis*. quod *clabulis*, seu minutis clavis aut baculis erat contextum, unde *Cursus clabularis* vel *clabularius*, cujus præter Ammian. *Lib. XX.* non semel meminerunt leges *Cod. Theod. b. tit. § d. l. 2. § 5. de Curiosis*, atque hoc vehiculì genus etiam *angariam* dictum esse rectè sentit doctissimus Gothofr. in *Comment. ad l. 4. 23. § 28. C. Th. b.* Quamvis *angaria* propriè non vehiculum, sed vecturam potiùs & deductionem vehiculì onerati, significet, quæ jumentis fiebat, quod onus provincialium fuit apud Romanos, *l. 22. C. Just. b. tit.* Quamobrem Cursus iste tandem à Leone Imp. sublatus est per orientem, tribus solum casibus exceptis, transitu militum, transvectione armorum & legatorum, *d. l. 22.* Etenim ad Cursum hunc clabularem, qui publici & vehicularis species fuit, adhibebantur *angariæ*, *d. l. 5. C. Th. de Curiosis.* Et speciebus fiscalibus, præcipuè

cipuè linteis & amictoriis, transferendis inserviebat, *l. 48. C. Th. b.* interdum Cursus iste, seu angarialis copia, ut vocatur *l. 4. C. Th. b.* militibus quoque concedebatur, cum de loco in locum transire necesse haberent, maximè ægrotantibus, *d. l. 22. C. Just. b.* vel ad eorum familias & charitates transferendas, quod præter Marcell. *Lib. XX.* indicat *l. 22. C. Th. b.* denique & legatis permittebatur *d. l. 22.* Plura qui de hoc cursu clabulari nosse cupit, consulat Salmas. *in Capitol. Antonino Pio cap. XII.* Jac. Gothofr. *Comm. ad d. l. 4. § 23. C. Th. b.* Joh. Scheffer *de re vehiculari Lib. II. cap. XXVII. in fin. § seq.* apud quem & alia plura de his, quæ recensuimus, vehiculorum generibus videri possunt. Tandem silentio non prætereundum, quòd aliquibus in locis, ubi fluminum commodus erat usus, etiam naves in Cursu publico fuisse deprehendamus: quod manifestum est ex illo Sidonii *Lib. I. Epist. V.* ubi de Cursu publico loquens; *Ticini,* inquit, *cursoriam,* sic navigio nomen, *ascendi.* Sic apud Cassiodorum *Lib. II. Variar. Epist. XXXI.* Theodoricus Rex Dromonariis mandat, *excursum cum veredariis per alveum Padi more solito faciant, ut diviso labore equis publicis subveniatur. Quando Cursus publicus non atteritur, qui per vias liquidas expeditur.* Et apud Victorem Uticensem *Lib. III. Vandal.* mentionem evectionis navalis reperimus: erat autem evectio potestas Cursu publico utendi, ut postea fusiùs dicetur: & interdum Cursus ipse.

CAPUT IV.

Officia, quibus Cursus publici cura commissã, trium generum fuerunt. Ad primum pertinent muliones, mulomedici, carpentarii. Ad secundum Propositi, Mancipes, Præfeti vehiculorum. Ad tertium Præfeti Prætorio, Magistri officiorum, Rectores provinciarum, & Curiosi.

Ne quid eorum, quæ ad Cursus publici expeditionem vel commoditatem pertinent, deesset, singulari cura providendum sibi crediderunt Imperatores. Hanc ob causam officia varia sunt instituta, ut, ne quid detrimenti pateretur cursus ille, quâ fieri potest, diligentia caveretur. Ea verò *triplicis generis fuerunt;*

Primum eorum, qui curandis animalibus & vehiculis in singulis mansionibus erant occupati. *Secundum* eorum, qui cursum ipsum observabant ac dirigebant in singulis stationibus. *Tertium* magistratum majorum, quibus inspectio quædam & cura generalis hujus cursûs ab ipsis Imperatoribus fuit commissa. *Ad primum* genus spectant *muliones*, quorum frequens mentio fit in legibus *Cod. Theod. b. tit.* ubi verbum hoc non denotat eos, qui mulas carrucarias regunt, ut in *l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil.* sed servos, qui curandis quibuscunque animalibus publicis præerant, *l. 10. §. simit. C. Th. b.* quorum singulis ternorum veredorum cura demandata fuit, *l. 34. C. Th. b.* vocantur & servi publici & mutationibus deputati, *l. 17. C. b. l. 58. C. Th. eod.* interdum & Hippocomi. *l. 13. C. b. l. 37. §. 50. C. Th. eod.* ἀπὸ τῆς νομῆς τῆς ἰαπυρίας à curandis equis, & hi quidem adjungebantur iis, qui Cursu publico utebantur, ut animalia in itinere curarent, ac peracto cursu ad suam mansionem reducerent: erantque peculiari sago, seu penula viatoria, adversus incommoda tempestatum, instructi, *d. l. 37. & 50.* Ad hoc genus præterea referendi *mulomedici*, *l. 31. C. Th. b. l. 2. C. Th. de excus. artificum*, artis veterinariæ, seu mulomedicinæ, de qua Vegetii quatuor libros habemus, periti: quorum erat animalium in singulis mansionibus curam gerere, ut bellè se haberent. Huc denique pertinent *carpentarii*, *d. l. 31.* seu vehiculorum opifices, *l. 17. C. Th. b.* quorum officium circa fabricanda & reparanda vehicula versabatur. Et hi omnes annonam & vestem sufficientem è publico consequerantur: quare ne quid à comitantibus mercedis causa acciperent, Valentinianus sancivit, *d. l. 31. b.* Alterum genus officiorum fuit illorum, qui Cursui publico in singulis mansionibus præfuerunt, & hi quidem non uno nomine veniebant, ut docet *l. 35. C. Th. b.* ubi præter Præpositos & Mancipes alios alio nomine designatos fuisse indicatur. Fuerunt, inquam, primò *Præpositi* simpliciter sic dicti, *d. l. 35. l. 9. C. Th. de Curios.* vel Præpositi mansionum *l. 21. C. Th. de Decurion.* quorum & Symmachus meminit *Lib. II. Epist.*

Epist. XLVI. in fin. & Cassiodor. Lib. V. Variar. Epist. V. in fin.
 Græcis *πρωταλλαγάτορες*, seu *ἀρχοντες τῆς ἀλλαγῆς*, *prepositi mu-*
tationum nuncupati, apud Codinum *in Offic. Imp. Const.* Hi fa-
 miliam omnem in stationibus, ne quid rerum necessariorum
 deesset, rexisse videntur. *Mancipes*, quorum passim memine-
 runt leges *b. tit. & Cassiodor. Lib. IV. Variar. Epist. XLVII.* ubi
mancipes mutationum appellat, erant illi, qui per singulas sta-
 tiones, seu mutationes, Cursum publicum observabant, ne quis
 in eo modum excederet, aut animalia subduceret, neve his pa-
 bulum deesset, *l. 35. 53. & 60. C. Th. b.* horum munus dictum *man-*
cipatus *l. 24. 36. 46. C. Th. b.* interdum & Cursum publici exhibitio
l. 57. b. l. 78. C. Th. de Cohortalib. etiam cursûs vehicularis solici-
 tudo, *l. 18. §. 4. ff. de muner.* eratque munus personale, quod
 quinquennio finiebatur, *l. 36. & 42. C. Th. b.* & imponi solebat
 officialibus emeritis, qui missionem impetraverant, *l. 34. 42. 46.*
C. Th. b. non autem curialibus *d. l. 34.* quod tamen perpetuum
 non fuit: nam & istos interdum hoc onere gravatos fuisse, di-
 scimus ex *l. 26. 35. 51. & 64. C. Th. b.* Fuerunt denique *Præfecti ve-*
biculorum in singulis mansionibus, *l. 4. in fin. C. Th. b.* qui, ne quid
 vehiculis deesset, prospiciebant, & reparationem eorum car-
 pentariis mandabant, quorum & frequens est mentio in anti-
 quis inscriptionibus apud Gruterum. *Tertia classis* eorum, qui
 Cursum publici curam gerebant, magistratum majorum fuit: in
 quibus eminuerunt *Præfecti Prætorio*, quod singulis fermè legi-
 bus sub hoc titulo nostro significatur, quibus Imperatores supre-
 mam Cursum hujus dispositionem ac curam viris, in hac dignitate
 collocatis, commendant. In hoc numero etiam *Magistri officio-*
rum fuerunt, *l. 8. 9. 22. 35. 39. C. Th. b.* quod confirmat Cassiod. *Lib. V.*
Var. Epist. V. & Lib. VI. Epist. VI. in formula magisteriæ; & *Notitia*
 Imperii in *Magistro officiorū*, ubi curiosum cursum publici præ-
 sentalem, id est, eum, qui in comitatu Principis fuit, & curiosos
 per omnes provincias sub ejus dispositione esse traditur: qui
 etiam nomine Principis *evectiones* emittebat, ut postea dice-
 tur.

tur. Præter hos etiam Proconsules & *Rectores Provinciarum* ex mandato Præfecti Prætorio Cursum publicum observare tenebantur, ne quid in eo contra leges committeretur, ut patet ex *l. 4. in fin. C. Th. b. l. 7. C. Th. b. de divers. offic.* Interdum etiam extra ordinem Magistris equitum & peditum Cursus publici sollicitudo mandabatur, ut in *l. 30. C. Th. b.* cum aliàs illa tantum ad magistratus civiles, eos nimirum, quos diximus, pertineret. Denique post istos omnes fuerunt, qui dicebantur *Curiosi*, qui è Palatinis non infimæ sortis, maximè ex *Agentibus in rebus* sumebantur, *l. 2. & seqq. C. Just. & Theod. de Curiosis*, & mittebantur in provincias vel bini, vel singuli, in singulas. *l. 2. & 8. C. Theod. eod.* tum ut reos criminum iudicibus seu Rectoribus provinciarum, nunciarent. *l. 1. C. Just. l. 1. & 8. C. Th. eod.* atque omnia, quæ geri in Republica viderent, ad Principis notitiam deferrent. *l. 4. C. Th. eod.* unde etiam Exploratores dicti, *l. 3. & 4. C. Th. b. tit.* in eoque similes erant frumentariis, de quibus multa apud Historiæ Augustæ scriptores, & insignis locus apud Victorem Schotti in *Diocletian.* ubi scribit, eum pestilentum hoc genus sustulisse, cum præcipuè ut Cursus publici tuendi sollicitudinem sustinerent, eumque regerent, *d. l. 2. & seqq. C. Just. & Th. de Curios.* ne quis scilicet aut citra evectionis (i.e. diplomatis, quo cursus potestas fiebat,) auctoritatem, cursum moveret, aut amplius postularet, quàm evectio concessisset: quem in finem illa demonstrari curiosis, ejusque inspiciendi copia fieri oportebat, *d. l. 2. & 8. C. Th. b. de Curios.* Erat autem munus hoc annuum & cum compendiis quibusdam conjunctum. *l. 5. & 6. C. Th. b.* sed & provincialibus imprimis exosum, ob avaritiam & deprædationes eorum, quibus illud committi solebat, quod singulis ferè legibus, quæ de Curiosis latæ sunt, indicatur.

CAPUT V.

De Evectione, seu diplomate, sine qua Cursum publicum movere, paucis exceptis, nemo poterat: quis eam dederit, quibus data sit, quibus limitibus Cursus publicus fuerit restrictus, quem in finem concedi solitus. Non

Non autem omnibus promiscuè Cursûs publici copia fiebat apud Romanos: sed illis tantùm, qui evectionem, ut vocabatur, à Principe, vel Præfecto Prætorio, vel Præfecto Urbis, vel Magistro officiorum (his enim solis, non aliis magistratibus, eam dandi potestas fuit, ut plures constitutiones Imperatorum *hoc tit.* declarant,) impetraverant. *Evectiones* verò, quæ interdum tractoriæ, & combinæ, Græcis etiam *συνθήματα*, *tessera*, & cultioribus temporibus diplomata dicebantur, nihil erant aliud, quàm codicilli, quibus Cursus publici utendi potestas dabatur. Verùm *tractoriæ* propriè diplomata fuerunt, quæ dabantur missis, vel evocatis à Principe, quibus præter Cursûs publici potestatem etiam adscribebantur stativa, seu mansiones, & annonæ modus, quæ debebat iis per singulas mansiones præberi. Talis tractoriæ formula apud Marculphum monachum *Lib. I. formul. XI.* reperitur, quæ incipit: *Ego Imp. Gratianus omnibus agentibus in illo loco. Nos C. Cecinam partibus illis legationis causa direximus. Ideò jubemus, ut locis convenientibus eidem evectio à vobis simul & humanitas ministretur; hoc est, veredi tot, porcelli tot, verveces tot, agni, anseres, phasiani, ova, mellis, &c.* Ceterùm de tractoriis qui plura cupit, adeat Gothofredum *in Cod. Theod. Tit. de tractoriis, in paratitlo & ad l. 1.* Et hæc quidem evectionum diplomata nomine Principis ejusque signo, vel Præfecti Prætorio, si ab hoc essent emissa, notari solebant, ut præter Plutarchum in Galba docent *l. 9. 12. 14. 27. C. Th. b.* adscribebatur insuper tempus, ad quod concedebatur evectio, quo elapso Cursum amplius usurpare non licebat, *l. 27. C. Th. b.* quod & Trajanus Imp. Plinio scribit. *Plin. Lib. X. Epist. XLVI. seq.* nec eum antè movere (hoc enim verbo, ut proprio, hac in re utebantur,) quisquam poterat, quàm iudices & custodes publici cursûs, de quibus *cap. preced.* dictum, seriem atque tenorem evectionis aspexissent, & subnotatione sua firmassent. *l. 3. C. Just. l. 8. 22. & simil. C. Th. b.* Etenim formam modumque evectione comprehensum excedere nemini fas fuit: quare si quis emenso spatio, ad quod cursus erat indultus, ulterius commeasset, vel præter numerum veredorum diplomate præscriptum, insuper alium

C

equum

equum seu parhippum, exegisset aut usurpasset, poenâ gravissimâ coërcebatur, *l. 14. 27. § 53. C. Th. b.* Sub Græcis Impp. si quis ultra mutationem unum veredum agitasset, quadruplum ejus solvere tenebatur. *Ἐάν τις παρελάσῃ μίαν γῆν ἀλλαγὴν τὸ τετραπλάσιον τῆς ζῶης δίδατο.* Syn. Basilic. *Eclog. LIIX.* Multò minùs cujuscunque quis dignitatis esset, sine evectione Cursum publicum movere cuiquam integrum fuit, *l. 3. C. Just. § Th. cum simil. b.* Hinc Pertinax M. *Aurelio Imperatore præfectus cohortis in Syriam profectus, à Præside Syriae, quòd sine diplomatibus Cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est,* teste Capitol. in *Pertin. cap. I.* Erant tamen, quibus & hoc permittebatur, puta Præfecti Prætorio, *l. 3. 35. § 62. C. Th. b.* Legati ad Principem missi à Senatu Populoque Rom. *l. 32. C. Th. b.* vel à gentibus exteris, *l. 16. C. Just. l. 57. C. Th. b.* vel à provincialibus, *d. l. 32. b. l. 6. § 9. C. Th. de legat.* Sed neque sine discrimine cuicunque petenti dari solebat evectio: privatis certè omnibus Cursum publicum impetrandi, vel impetrato ad privatos usus utendi facultatem ademit Theodosius M. *l. 11. C. Just. l. 44. C. Th. b.* nisi quis dignitate civili vel militari functus ea deposita privatam vitam esset amplexus, *d. l. 44. § 39. C. Th. b.* Præterea certis quibusdam legibus ceu limitibus Cursus publicus fuit constrictus, quas excedere neque iis, qui dabant evectionem, neque iis, quibus dabatur, licebat. Hujus generis fuerunt, I. Ne onere nimio animalia publica gravarentur, pondus certum singulis vehiculorum generibus præscriptum: Ne scilicet rhedæ, vel carpento, ultra mille pondo, carro non ultra sexcenta, birotæ non ultra ducenta, imponerentur, qua de re *cap. III. actum:* sic veredo seu equo, qui simul hominem gestabat, triginta libras, *l. 8. l. 17. 28. 30. C. Th. b.* parhippo, seu avertario (*pagaschen = pferd*) centum, non ampliùs, quòd curreret expeditiùs. Angariæ denique, seu clabulari non ultra mille quingenta, licebat imponere, *l. 28. § 30. C. Th. b.* II. Vehiculis privatis animalia publica jungi per leges non poterant, *l. 10. C. Th. b.* III. Animalibus publicis in alios usus, quàm quibus erant destinata, uti fas non fuit; quamobrem nec veredum

dum ad vehiculum aptare licuit, *l. 24. C. Th. b.* Sed neque boves privatorum aratorios, si publicorum copia non esset, dominis invitis abducere & publico vehiculo jungere, *l. 1. C. Th. b.* IV. Certus numerus animalium evectioni fuit præscriptus, quem excedere non licebat: constitutum enim fuit, ne uno die ultra quinque veredos ex una mutatione moverentur; neve amplius una rheda, *l. 37. & 40. C. Th. b.* ne scilicet mansiones animalibus aut vehiculis, cum iis opus esset, reperirentur destituta. V. Flagrantum & virgâ animalia monere, non fustibus cædere, concedebatur, *l. 1. C. Just. l. 2. C. Th. b.* VI. Neque ab itinere solito & recto deviare, *l. 25. C. Th. b.* neque evectionem impetratam alteri vendere licebat, *l. 4. & 41. C. Th. b.* quanquam socium itineris sibi adungere nemo prohiberetur, *d. l. 2.* Tandem sicut privatis usus Cursus publici non patebat, ita nec eorum commodis, sed publicis solum necessitatibus inserviebat: puta, Principis itineribus, quæ publicæ salutis ratio exigebat, *l. 3. C. Th. b.* vel evocatis à Principe, aut ab eo dimissis, *l. 54. C. Th. b.* magistratibus civilibus aut militaribus, in provincias pergentibus, *l. 38. 49. & ult. C. Th. b.* vel per provincias discurrentibus publicæ necessitatis causa, vel etiam officiales suos in diversas provinciarum partes mittentibus, *l. 12. & 16. C. Th. b. Novell. Majorani 1. cap. nec hanc.* Legatis à Senatu Populoque, vel à Provincialibus ad Principem missis, *l. 32. C. Th. b.* item legatis diversarum gentium, *l. 16. C. Just. l. 57. C. Th. b.* speciebus transmittendis, quæ ad fiscum pertinebant, *l. 13. 16. & simil. C. Th. b.* atque aliis de causis, quas publicæ utilitatis ratio requirebat, *l. 19. & 63. C. Th. b.* Quæ omnia paucis complexus est Cassiodorus, *Lib. V. Variar. Epist. V.* cujus verba merentur adscribi; *Illam partem, inquit de Cursu publico, constat Reipublicæ necessitatibus exquisitam: per hanc enim & legationum utilitas & ordinationum nostrarum celeritas explicatur: hæc & aulicis potestatibus per ærarias jussiones ministrat effectum: hæc crebris illationibus nostrum ditat ærarium: ut penè quicquid in Republica geritur, cursuali ministerio compleatur.* Quinimò non

in rebus solùm civilibus, sed & si quando Synodos & Concilia schismatum Ecclesiæ componendorum causa cogebant Imperatores Christiani, Episcopis ad ea vocatis, evectionis potestatem factam fuisse, passim produnt rerum Ecclesiasticarum scriptores. Unde illa Marcellini querela de Constantio Imperat. *Catervis Antistitum jumentis publicis ultro citroq; discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicularie succidit nervos.* Aliquando tamen etiam privatarum necessitatum causâ cursus publici copiam extra ordinem indulgebat Princeps. *l. 4. C. Th. b.* quod præter Plinium *Lib. X. Epist. ult.* Symmachus pluribus epistolis confirmat. Gratis autem concedebatur evectio: neque enim quicquam eo nomine vel iis, qui Cursum curabant, præstari moris erat: quamvis interdum isti à comitantibus aliquid extorquere solerent, quorum ideò rapinæ frequentibus rescriptis occurrere studuerunt Imperatores.

CAPUT VI.

Cursores & tabellarios domesticos veteres habuisse, qui servi fuerunt. Imperatorum etiam liberti, πτεροφόροι, pinnigeri, militum genus, quo Imperatores & Rectores provinciarum ut tabellariis utebantur. De pinnis & velocitate nunciorum veterum.

Cùm igitur, ut modò expositum est, nulli privatorum facile concederetur Cursus publici usus, inquirendum est paucis; quænam ergò ratio fuerit apud veteres, imprimis Romanos, aliquid absentibus nunciandi, & literas in remota loca mittendi. Equidem certos cursores seu veredarios apud antiquos auctoritate publica fuisse constitutos, qui statis temporibus ex hoc vel illo loco discederent, literasque & nuncios in dissitas civitates ac regiones deferrent, & inde responsa referrent, quales hodiè habemus, nusquam reperimus. Nisi fortè, similem quendam cursum ab Imperatoribus Româ ad proximas Italiæ civitates institutum fuisse, dicere velimus: id enim suadere videtur locus ille Suetonii in *Vespas. cap. IIX.* ubi hic Imperat. *classarios, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi*
cal-

calcearii nomine, quasi parum esset sine responso abegisse, iussit post-
 hæc excalceatos cursitare, & ex eo ita cursitant. Hæc Sueton. Ce-
 terum si quid peregrè nunciare vel literas mittere volebant pri-
 vati, eam ad rem vel occasione amicorum, alicumque, qui ad
 illa loca fortè proficiscebantur, erat utendum, vel è domesticis
 aliquis mittendus, qui nuncium aut literas perferret. Atque hunc
 in finem tabellarios suos domesticos habuerunt, *l. pen. in pr. ff.
 de acq. rer. dom.* qui & ab officio suo *cursores* sunt dicti, quorum
 passim meminerunt scriptores. Fuerunt autem è numero servo-
 rum, ut constat ex *l. servis urbanis. 99. in fin. de leg. 3.* Sic Cic. *Lib. XI.
 Epist. XI.* à pueris, id est, servis suis literas sibi scribit allatas: &
Lib. XIV. Epist. V. commemorat, Acastum servum suum cum li-
 teris uxoris & amicorum, ad se Romam missis Athenas, id iter con-
 fecisse uno & vicesimo die. Fuerunt isti cursores ex gente Numi-
 darum plerumque, & Mazycum imprimis, lecti: quos à pedum
 velocitate passim celebrant antiqui, Suet. *in Neron. cap. XXX.* Se-
 nec. *Epist. CXXIII.* De Picentibus etiam, Lucanis ac Brutiis Ita-
 liæ populis sumebantur: quos, quòd ad Hannibalem defecissent,
 Romani civitate & honore militiæ privatos, cursores & tabella-
 rios fecerunt, ἀντὶ στρατείας ἡμιερροδρομῆν κὶ γραμματοφορεῖν ἀπὸ ποδῶν
 δρασαν, teste Strabone *Lib. V. in fine.* Alias hi cursores etiam servi
 à pedibus & ad pedes antiquis sunt vocati, vulgò & exercipedes,
 ταχιδρομοί, teste veteri glossa; eò quòd pedibus hoc suum mini-
 sterium obibant; quanquam tabellarii, etiam privatorum, inter-
 dum vehiculis uterentur, ut ille Trimalcionis apud Petronium,
 de quo supra *cap. III.* Nec solam privatos, sed & Imperatores in
 ministerio suo plures cursores habuisse, præter veteres lapides
 passim testantur Historiæ Augustæ scriptores. De Alexandro re-
 fert Lampridius *cap. XLII. in pr.* eum cursorem nunquam, nisi
 servum suum, habuisse, quòd diceret, ingenuum currere, nisi
 in sacro certamine, non debere. Verus etiam ingenuos habuit,
 quos indefessè & inhumaniter faciebat cursitare, ut notat Lam-
 prid. *cap. V.* Verum hi cursores Imperatorii habitu ab aliis distin-
 guebantur: unde Vopiscus de Aureliano *cap. XLIX.* *Cursores, in-*
 quit

quit, eo habitu, quo ipse habebat, senatoribus concessit. Nero quidem canusinatos muliones, armillatosque & phaleratos cursores habuit. Sueton. in *Neron. cap. XXX.* phaleratos, i. e. pinnis capiti appositis ornatis: ad illum enim habitum imprimis pinnæ pertinerunt. Huc spectat, quod de Vero Imperat. narrat Lampridius, d. c. 5. eum cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuisse, & ventorum nominibus vocitasse, Boream, Notum, Aquilonem, aut Circium: & morem fermè fuisse priscis, nomina ventorum cursoribus imponere, docet Zethi tabellarii nomen apud Cic. *Lib. IX. Epist. famil. XV.* Fuit aliàs apud Romanos genus quoddam militum, qui πτεροφόροι, *pinnigeri*, seu pinnati, à Græcis scriptoribus vocantur, quibus Imperatores & Rectores provinciarum pro tabellariis utebantur. Horum quippe munus fuit, ut si quid per universum Imperium Præsidum vel Principum cognitione dignum intellexissent, id confestim ad eos deferrent; ideoque διοπτῆρας ἔχοντες & διαγγέλλουσιν, *speculatores & nuncios*. Plutarchus illos appellat in *Galba*: ut non diversi fuisse videantur à frumentariis, in quorum locum sub posterioribus Imperatoribus successerunt, qui dicebantur Curiosi, de quibus supra *cap. IV. in fin.* actum. πτεροφόροι verò, seu *pinnigeri*, dicti sunt, non solum à cursus pernicitate, sed etiam quòd revera, cum in via essent, pinnis appositis ab aliis tabellariis & cursoribus distinguerentur: quo ipso tamen significabant suam in conficiendis itineribus celeritatem. Sæpius enim pinnis ferri ac volare dicuntur nuncii & epistolæ, quæ velocissimè perferuntur. Ita Juvenalis *Satyr. IV.*

— — *Tanquam è diversis partibus orbis*

Anxia præcipiti venisset epistola pinna

Et Aristides in eleganti panegyrico Romæ, epistolas, quæ de publicis rebus Romam mittebantur, tanta velocitate perlatas scribit, ut à volucris ferri viderentur: Imperatorem namque quietè degentem universum orbem per literas regere; αἰ δὲ, ait, μικρὸν φθάνασι γραφεῖσαι, ἔχοντες πτεροφόροι, ὡς περὶ ὑπὸ πτερωτῶν φερόμενα. At verò commentum esse non dubito, cum Casaubono ad Suet.

Augu-

Augustum cap. XVII. quod vetus interpres Juvenalis *ad loc. cit.* de pinnis tristium nunciorum indicibus scribit: utut hanc opinionē adstruere conetur Salmasius *ad Lamprid. Alexandrum cap. LIX. in pr.* cū eos, quos diximus, *πρωτοκέρως*, tam lætarum, quā tristium rerum nuncios fuisse, negari non possit. Sub posterioribus Imperatoribus etiam inter aulica ministeria fuere cursores, ut patet ex *l. 10. C. de divers. offic. Lib. XII.* ubi mentio fit *cursorum partis Augustæ*: ad quem locum Cujacius malè cursores cum veredariis confundit: cū illos pedibus cucurrisse; hos verò equis usos esse constet. Apud Imperatores Orientis etiam Præfectus cursorum fuit, *πρωτοκέρως* dictus, teste Landulpho *in Phoca.* Denique non modò cursores, sed & veredarios pinnis caput ornaſe, ex antiquis glossis nos docet magnus Salmasius *ad d. cap. LIX. Lampridii*, ubi hæc ex iis verba producit: *Veredarii dicuntur à vehendo, qui festinanter in equis currunt; non descendunt de equis, antequam liberarint responsa sua: habent pinnas in capite, ut inde intelligatur festinatio itineris, daturq; eis semper equus paratus, non manducant nisi super equos.* Hucusque glossa. Tanta verò fuit horum festinatio, ut interdum equi sub iis exspirarent: sic enim Ammianus *Lib. XV. in pr.* de Apodemio quodam: *equorum permutatione veloci, ut nimietate cogendi quosdam extingueret, præcursorius index Mediolanum venit.* Unde mira fuit horum veredariorum celeritas: interemto quippe Maximino, *nuncius, qui ex Aquilejensi urbe Romam missus fuerat, tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarta die Romam veniret,* auctore Capitol. *in Maximinis cap. XXV.* numerat autem Antoninus *in Itinerario* inter Aquilejam & Romam 798. miliaria. Ita ibertus Galbæ scelus, Româ profectus ad Patronum, septimo die Cluniam, quæ est in media ferè Hispania, pervenit, eique nuncium de morte Neronis attulit, teste Dione & Plutarcho *in Galba.* Occurrunt & alia hujus generis passim apud scriptores. Sed hujus cursus contentione reliquos omnes post se reliquit Palladius ille, qui Theodosio M. Imperatore tantum equitandi peritia præstitit, ut intra

tri-

triduum Constantinopoli ad ea loca, quibus Imperium Rom. à Persia difterminatur, hoc est, in Mesopotamiam usque excurre-
ret, atque inde rursus totidem diebus Constantinopoli rever-
teretur, ut memorat Socrates *Lib. VII. Hist. Eccles. cap. XIX.* Cete-
rùm de cursoribus ac tabellariis eximia plura videri possunt apud
J. Jac. Hoffmannum, virum celeberrimum, meumque præcepto-
rem ac fautorem omni honoris cultu venerandum in *Continuat.*
Lexici Universal.

CAPUT VII.

*De Postis hodiernis. Earum etymologia & homonymia. Quando pri-
mùm instituta in Italia, Gallia, & Germania. De Ullacidis & Pei-
chis Turcarum.*

Hactenus itaque sufficienter ad institutum nostrum exposu-
isse mihi videor, quid veteribus, imprimis Romanis, de Cursu
publico, deque modo nuncios ac literas celeriter in alia loca per-
ferendi, placuerit. Reliquum est, ut dispiciamus, quanam ho-
diè sit Cursus publici ratio, & quid potissimùm ea de re in Impe-
rio nostro Germanico receptum sit ac constitutum. Cursus au-
tem publicus omnibus Europæ populis hodiè *Posta* nomine no-
tus est: cujus verbi origo, tametsi ad Gallorum non minùs & Hi-
spanorum, quàm Italarum idioma, quæ sunt inter se maximè
confinia, referri possit, id tamen in Italia cum ipsa re natum esse
autumo. Estque, si quid iudico, distinctionis ergò in genus fe-
mininum, inflexum à masculino *postò*, quod & Italis & Gallis lo-
cum, quo quis se firmiter, maximè belli tempore, tenet, signi-
ficat, qualem Latini stationem, Græcis *σταθμὸν*, dixerunt. Hinc
posta propriè locum denotat recipiendis iis, qui Cursu publico
utuntur, & equis mutandis destinatum, quem antiqui quoque
stationem, mansionem & mutationem nuncuparunt. Itaque
minùs propriè, non tamen minùs frequenter, *postæ* nomen pro
jure Cursum publicum administrandi & dirigendi, vel pro re-
cursoria, vel pro ipso tabellario seu veredario publico, sumitur.
Sed

Sed qua ratione, quoque tempore Cursus publicus, qui cum Imperio Romano prorsus conciderat, post tot seculorum decursum, in usum hominum sit revocatus, atque his, quibus jam instructum videmus, institutis auctus, non facile est augurari. Credibile est, primum Principes aliquos in publicos usus per certa locorum intervalla equos equitesve, per quos quarum rerum velent velociter certiores fierent, & mandata ad suos mitterent, disposuisse: deinde ad amplificanda commerciorum commoda propriique lucri causâ cursus hujus usum etiam in privatos transulisse. Non displicet eorum sententia, qui censent, Italos morem hunc antiquum, longâ oblivione ac barbarie sepultum, velut ab orco revocasse, eumque primum Vicecomites, cum Mediolano dominarentur, in regionem hanc invexisse, quod refert Orlandus Malavolta *in Histor. Senens.* cujus auctoritatem forsitan Spiegelius & Calvinus *in Lexicis* voce *Curiosus*, sunt secuti. Confestim mos iste, utpote cujus magna se statim prodebat in publicum utilitas, aliis quoque Europæ populis frequentari cœpit. In Gallia equidem veredarios regios, qui, mutatis per dispositas stationes equis, citissimè magna terrarum spatia pervolarent, Gallis prius ignotos, Ludovicum XI. instituisse, post Cominium, bonum ac fide dignum scriptorem, *Lib. IIX. in pr.* alii multi traderunt. Quam tamen de re dubitat Petrus Matthæus *Lib. XI. Histor. Gall.* in vita hujus Regis. In Germania Cursus publici auctorem quidam faciunt Maximilianum I. alii Carolum V. cujus nepotem & in Imperio successorem. Jul. Cæs. Bulergerus *Lib. VI. de Imperio Rom. cap. XXXIII. in fin.* postarum, quibus hodiè utimur, usum, cum intercidisset, à Maximiliano Cæsare, tum à Ludovico XII. & Francisco I. Franciæ Regibus, restitutum esse scribit. Veruntamen vix ullam *postarum* mentionem in actis publicis reperimus ante Annum 1522. quo Norimbergæ in Comitibus decretum, ut durante illo Statuum Imperii conventu ab ea urbe Vienne usque postea institueretur, quò citius ultro citroque perferretur, quid actum esset, quidve Imperatori, quid Statibus placuisset. Turcarum quoque Imperatores suis non destituuntur

D

curso-

cursoribus, quos vocant *Peichos*, quos cum securicula in manu & phiala aquæ odoratæ tanta celeritate dicunt currere, ut die ac noctu Byzantio Hadrianopolin usque perveniant, quod interval- lum est milliarium Romanorum circiter 160. teste Lips. *Lib. III. Epist. LIX.* diversum autem hoc genus videtur ab Ullacidis, qui pariter mandata Principum Turcorum perniciosissimo cursu quo- cunque deferunt, & si quid novarum rerum acciderit, nunciant Imperatori. Hi si fortè in equitem, quicumque tandem ille fuerit, inciderint, eum equo descendere jubent, in quem ipsi insiliunt, eòque iter prosequuntur, donec rursus in alium recen- tem ac validiorem inciderint. Hac ratione cursores istos ex Pelo- ponnese Hadrianopolin usque quinque dierum spacio advolasse, quod iter aliàs 15. diebus ægrè conficeret peritus eques, scribit Chalco- Condylas *Lib. IX. Postarum* autem usum, quales apud nos sunt, quibus statim temporibus literæ privatorum quorumvis in alia loca ocys perferuntur, Turcæ pariter ac reliqui populi Ori- entis & barbari omnes ignorant, imò plerisque literarum usum vel sacris eorum vel Principum legibus ademtum esse constat.

CAPUT IIX.

Divisio Postarum in ordinarias & extraordinarias. In terrestres & na- vales. Illa rursus vel pedibus fiunt, vel curru, vel equo. Quibus- dam in locis etiam boum & asinorum usum esse in cursu. Tertia di- visio in generales & provinciales.

Non unam patiuntur divisionem postæ nostræ. Sunt enim aliæ *ordinarie*, quæ omnibus patent, ac statis temporibus certis è locis eunt, eoque redeunt; aliæ *extraordinarie*, quibus vel Principes, vel etiam privati extra tempus illud statutum utuntur. Et Principum quidem nuncii hac ratione emissi, cursores extra- ordinarii, nostris eim extraordinari oder expresser Currier / item simpliciter eim expresser; Italis quoque *staffetta*, quod verbum & Germanis nostris non infrequens est, nominari solent. Dividuntur deinde postæ in terrestres & navales; *terrestres* postæ iterum *triplicis* est generis; fit enim vel pedibus, vel curru, vel equo.

Etenim

Etenim Postæ nomen hîc laxiùs accipimus, ut omnem Cursum publicum comprehendat; aliàs namque constat nomen hoc illi solùm cursui vulgò tribui, qui equo & quidem celeri ac per vices mutato peragitur. *Pedestres* postæ, seu cursores vulgò non postæ nomine venire, sed Germanis *Boten* / Gallis *messagers*, Italis *messagieri*, vocari consueverunt: quamvis interdum & veredarii, seu cursores equestres, illi nimirum, qui eodem semper equo provehantur, his nominibus significantur. Hujus pedestris cursus maximus usus est in regionibus montosis & asperis, cujus generis est Helvetia, in qua si quid fortè ab una è fœderatis civitatibus aut pagis alteri sine mora nunciandum occurrit, per dispositos & hunc in finem semper excubantes cursores pedestres, qui viarum compendia optimè norunt, diu noctuque continuato itinere, mira velocitate literas perferri mihi relatum est. Ita pedestri cursu hinc Basileâ singulis hebdomadibus literæ Mediolanum, vel saltem Lucanum, quod est oppidum in Helvetiæ finibus ad radices montis D. Gothardi situm, deferuntur, & hunc cursum publicum in Italia quoque frequentem esse, iis nimirum locis, ubi mons Apenninus transcendendus est, notat Hornik *de Jure Postar, cap. IIX. Theorem, II.* Curules postæ seu cursus *vehicularis*, quæ curru, rhedâ vel cisio expediuntur, Germanisque vulgò *die Landgutschen* vel *Landwagen* / Gallis etiam *le coche de Paris, de Strasbourg, de Mets*, &c. à loco, quò tendunt, appellantur, in Germania, Gallia, Italia & Britannia satis sunt frequentes, sed frequentiores in Belgio propter urbium & incolarum multitudinem, commerciorum frequentiam, & regionis situm, qui planus est undique ac collibus destitutus. Ad cursum hunc hodiè equi solùm adhibentur, cùm Romani etiam alia animalia, puta mulas, boves, asinos, in cursu publico, sed gravi tantùm, non veloci, de quo hîc agimus, habuerint, ut suprâ *cap. III.* docui. *Equestris* cursus hodiè omnium frequentissimus est, & solus in communi loquendi usu *postæ* nomen obtinet: mutatis enim per singulas stationes, quas & postas hodiè vocari diximus,

equis cursus est omnium expeditissimus & celerrimus. Animalia verò reliqua ei rei minùs apta esse docet experientia. Non tamen hac in re eadem est omnium regionum ratio: sunt enim quædam, ubi camelorum commodior est usus ob extremam terræ siccitatem & aquæ pabulique penuriam, ut in plerisque Africae ac Arabiae locis. Indos etiam bobus ad Cursum uti referunt, qui illam terræ plagam inviserunt, in quibus est Joh. Alb. à Mandello *in Itiner. Indiae Orient. Lib. I. cap. XXXI. in fin.* ubi se conscenso bove, qui in illa regione equorum instar, frenis ac fellis instrui solent, per quatuor horas continuato cursu sex milliaria confecisse, testatur. Idem in eadem regione junctis ad cisium bobus non minùs velociter, quàm apud nos equis fieri solet, se vectum esse scribit, *Lib. I. cap. XIII.* ut ibi cursus bouum, *die Ochsen-Post* / tam absurdus & ridiculus non sit, ut est apud nos Germanos. Sunt præterea provinciæ, in quibus & posta asinaria, *die Esels-Post* / Gallis *la poste aux asnes*, usitata, ut in plurimis Galliae locis, imprimis Lugdunum inter & Viennam ad Rodanum, ubi dispositi per intervalla locorum asini equorum cursualium in modum mutari possunt. Hæc de Cursu equestri. *Navalis*, in locis maritimis maximè frequentatus, est, qui navibus perficitur, qualem & antiquis notum fuisse supra *cap. III.* dictum est. Ita Caleto Galliae singulis hebdomadibus bis aut ter, cum per anni tempestatem licet, statis horis navis cursoria, seu tabellaria, ut Seneca loquitur *Epist. LXXIIX*, solvit & noctis unius spatio literas hominesque Doveram Britanniae oppidum defert, atque inde rursus similem in modum redit. Sic è Britannia in Belgium, & vicissim cursoriae naves statis temporibus ire ac redire solent, Belgium imprimis, quod fossis aquarum undique dissectum est ac distinctum, lembis ejusmodi cursoriis ob commercii frequentiam magno commercantium commodo scatet. Est & hujus Cursus frequens usus in Italia. Patavio Venetias quotidie navis, Italis *la parca*, bis solvit, atque alia invicem inde adversa Brenta fl. rediens toties ibidem appellit, Ita Venetiis Ferrariam atque hinc Bononiam, & vicis-

vicissim ex his locis Venetias statis diebus cursus navalis est institutus. Denique postea in Imperio nostro distinguitur in *generalem*, quæ se extendit per universum Imperium & à solo Cæsare dependet, ideoque *die Keyserliche* sive *Reichs-Post* nuncupatur; & *particulares* seu provinciales, *die Land-Posten*/ cujusmodi quivis Status Imperii in suo territorio instituere potest. Qua de re infrà commodior erit agendi locus.

CAPUT IX.

De Officiis ad Postam Imperii pertinentibus, puta, Supremi postarum Magistri, & reliquorum Magistrorum, horumq; Commissariorum. De tabellariis & cursoribus. De Electore Moguntino Cursus publici protectore.

Ut sequar ordinem, quem in veterum Cursu publico exponendo servavi, personas & officia, quibus Postarum cura in Imperio nostro commissa est, recenseamus. Itaque cum jus postas generales per universum Imperium instituendi unum sit ex iis, quæ vulgò *Reservata* Imperatoris dicuntur, ut postea dicetur, totumque ab hujus arbitrio & auctoritate pendeat; jam ferè à postarum origine ac receptione in Imperio Cæsaribus placuit, supremam earum curam illustri familiæ *Comitum à Taxis* in feudum concedere, quæ simul illi muneri per universum Belgium Hispanicum & Italiæ bonam partem jam à centum & pluribus annis præest. Est igitur *supremus Postarum Magister* in Imperio Comes à Taxis, ille qui Brussellis fortunarum suarum sedem habet, qui jus hoc hereditarium familiæ à majoribus accepit & ad posteros suos pari ratione transmittit, ideoque se vocat *Erb-General-Reichs-Postmeister*. Hic inane puto quærere, num jus hoc regale Imperatoris in feudum dari possit, cum res ipsa tot annorum observatione firmata nihil hîc dubii relinquat: & inter Juris feudalis auctores constet, etiam jura, in iisque potissimum regalia, utpote quæ immobilibus accensentur, in feudum concedi posse. *Dd. ad cap. I. §. Sciendum, de feud. cogn. Vultej, de feud. Lib. I. cap. V. n. 6. Ludwel. Synops. Jur. Feud. cap. XII. in fin.* An au-

tem è re Imperii vel Imperatoris sit jus hoc feudi titulo certæ familiae, ad quam omnis exinde redundans quæstus perveniat, in perpetuum adstringi, vel iis committi, qui extra fines Imperii degunt, exterique Principis ditioni ac potestati sunt subjecti, quòd non paucos Imperii Status ægrè ferre testis est Burgold. *in addit. ad p. III. disc. 12. ad Instr. Pac.* quinimò jam Anno 1570. rogatum fuisse Imperatorem Maximilianum II, à Statibus Imperii, ne curam rei cursoriæ exteris committeret, haben den Kaysler ersucht und gebeten / das Postwesen bey dem Reich zu behalten: Dann Ihre Maj. wären es auch als ein Mehrer des Reichs zu thun schuldig / und könten es dero Nachfahren zum præjudicio in frembde Hände nicht kommen lassen; *discimus ex Actis Aulæ Cæsareæ, auß der Ableinung Ferdinanden Freyherrn von Paarn / Obr. Hoff-Postmeisters / contra Alexandrinam Gräffin von Taxis / præsent. 17. Sept. 1641. §. der Reichs-Post halben: hoc, inquam, nostrum non est excutere.* Illud constat, in aliis Europæ provinciis, imprimis in Gallia, cursûs publici præfecturas, quæ cum insigni emolumento conjunctæ esse solent, magno locari, atque inde fisci facultates mirum in modum augeri consuevisse. In Hispanicæ ditionis provinciis munus hoc plerumque permissu Regis à patre, si rectè sit in eo versatus, ad filium transit, ut refert Perez. *ad Tit. Cod. de Cursu publ. num. 18.* Ceterùm num supremam Postarum præfecturam Comites à Taxis in subfeudum alteri conferre possint, quæstionis est. Ipse Comes Lamoralis hanc sibi facultatem negare videtur literis suis, quas profert Hornik *de Jur. Post. cap. XV. Theor. V.* Verùm cùm pactum aliquod prohibens eorum investituræ adjectum non reperiamus, nihil causæ est, cur hîc à communi feudorum natura recedamus, quæ permittit quodvis feudum, etiam regalia subinfeudare, modò feudi dominique conditio inde non fiat deterior. Rosenth. *de Feud. part. I. cap. IX. Membr. I. concl. 43.* Schrader. *de Feud. Lib. I. cap. X. num. 80. & seqq.* Hunn. *Tract. Feud. cap. XII.* Vult. *de Feud. Lib. I. cap. X. num. 80. & seqq.* Feudum verò si domino inscio vasallus alienaverit, jure suo

suo cadere, pervulgatum est, *ex c. si clientulus de alien. feud. 1. Feud. 13. c. imperialis. 2. F. 52.* alienationis autem verbum non modo venditionem, permutationem, donationem, sed & pignoris nexum complectitur, *c. Imperialem, in pr. 2. F. 55. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Vultej. *dict. cap. X. num. 42. & seq.* Post supremum Postarum Magistrum sunt Magistri inferiores, qui simpliciter *Magistri postarum*, die *Postmeister* vel *Post-Verwalter* / appellantur: qui à supremo Magistro vel certo salario conducti, vel quòd iis ipse munus hoc atque inde redeuntem quæstum pacta sibi mercede addixerit, majoribus stationibus, seu postarum tabernis, quæ *Officia*, die *Post- und Haupt-Post-Nempter* / vulgò dicuntur, præsumt, & ne quid in recipiendis mittendisque literis, totoque Cursu publico requiratur, prospicere debent: suntque adeò antiquis Præpositis mansionum seu mancipibus non absimiles. Stationes verò, quibus præsumt, in præcipuis fermè Germaniæ civitatibus, puta Colonia, Augustæ Vindelicorum, Norimbergæ, Ratisbonæ, Hamburgi, Francofurti, Reinhusii, Viennæ, Bremæ, sunt stabilitæ. Et hi Magistri rursus in aliis civitatibus aut oppidis suos habent submagistros, qui propriè *commissi* seu *commissarii* vocantur, eò quòd illorum mandato his in locis rem cursoriam administrant. His omnibus denique sui apparent ministri, seu tabellarii, *postiliones & cursores* vulgò dicti, quorum est literarum fasciculum reliquamque sarcinam veredi sui vel parhippi probè custodire, diebus & noctibus atque omni tempestate contemta, ut est *in l. 137. §. cum ita ff. de verb. obl. iter* continuare, ut hora consueta ad præstitutum sibi locum pervenire queant. Tandem, quoniam de officiis rem cursoriam in Germania promoventibus agimus, prætereundum non est, illos omnes, quos diximus, postarum Magistros cum ipso Cursu publico in Electoris Moguntini, tanquam Imperii Archicancellarii, esse clientela, qui ideò *Protector des Postwesens* crebrò in instrumentis actisque publicis nominatur. Vix tamen quicquam ex hac dignitate provenit commodi, præterquam quòd tam ipsius
Electo-

Electoris, quàm ejus Consiliariorum, Secretariorum, aliorumque, qui tam suo, quàm Imperii Tabulario, seu Cancellariæ, quæ apud eum est, inserviunt, literæ per universum Imperium sint à vectura immunes (*befreyt vom Brieff-Geld*) eoque nomine in singulos annos honorarium ducentorum aureorum stationi cursoriæ, quæ Francofurti est, pendunt Electores. Ceterùm nec ullam potestatem in postarum Præfectos aut ministros, nec in Cursu publico dirigendo partes aliquas sibi hanc ob causam vindicare possunt: hæc enim omnia ab arbitrio & cura summi postarum Magistri unicè pendent, ut ex literis & actis publicis docet Hornick *dict. Tract. cap. VI. tb. 2.*

CAPUT X.

Jus Postarum ad regalia pertinere, Imperatori Reservata. Provinciales tamen postas etiam Status Imperii posse instituere. Præfectus postarum in terris Imperatoris hereditariis Baro à Paar. De hujus controversia cum Comite à Taxis. Omnibus, qui superiorem non agnoscunt, jus esse postarum, etiam Rebus publicis liberis. Hoc & præscriptione acquiri.

Ut apud Romanos Cursus publici ratio ab Imperatoria majestate tota pendebat, sic hodiè postarum jus & institutio summæ potestatis consequens esse solet, atque ideò à juris feudalis aliisque scriptoribus communi propè consensu inter regalia, seu jura majestatis, recensetur, Sixtin. *de Regal. Lib. II. cap. XIII. num. 42.* Matth. Steph. *de Jurisd. Lib. II. cap. I. num. 110.* Bocer. *de Regal. cap. II. num. 236.* Ludwel *Synops. Jur. Feud. part. I. cap. XIII.* qui omnes jus hoc ad regalia majora, seu dignitatis, referunt: at verò si rem ad amussim perpendamus, illud non minus quàm vectigalium perceptionem & compendia mulctarum regalibus minoribus, quæ ad fiscum locupletandum pertinent, saltem extra Imperium, accensendum esse patebit. Cùm autem regalium omnium in Imperio nostro non eadem sit ratio, sed *trium* omnino sint generum; competunt enim alia soli Imperatori, alia conjunctim Imperatori & Electoribus, alia Imperatori simul cum omni-

omnibus Statibus, quæ non nisi in Comitibus expediri possunt, jus Postarum universalium, quæ nempe per totum Imperium se diffundunt, ad primum genus referendum est, eorum scilicet, quæ sunt solius Imperatoris, & *Kaysersliche hochheiten und Reservatē* vulgò dicuntur: quod infinitorum testimoniorum auctoritate confirmari posset; nobis jam sufficiat illud Th. Merckelbachii inter consilia Klockii *Tom. I. cons. 32. in pr.* Das Postwesen wird für ein solch Kayserslich hoch Regal geachtet / daß der Röm. Kays. Maj. in krafft durch das ganze H. Reich in allen Fürstenthumben und Herrschafften habender Kayserslicher Superiorität hochheit und universal jurisdiction anzuordnen allein / aber sonst keinem Reichsstand / gebühret. Hanc ob causam Imperatorem Rudolphum II. Duci cuidam Germaniæ, qui Cursum publicum in Belgium usque & Italiam stabilire tentaverat, illo severè interdixisse, recenset Clapmar. *de Arcan. Rerumpubl. Lib. I. cap. XXI.* Atque hoc suum jus Imperatores Comitibus à Taxis expediendum feudi nomine commiserunt, ut *cap. preced.* dictum. Quare Matthias Imperat. in literis de abrogandis postis privatis Ann. 1614. die 11. Jan. ad Electores & Status Imperii datis, sic inter alia scribit: darauff *CC. LL. AA.* und ihr niemanden / dann offtgedachten Freyherrn Lamoraln von Taxis für den ordentlichen / von uns confirmirten und bestätigten General-Obersten Postmeister im Reich und Niederlanden erkennen und ehren sollen: Hæc, ut dixi, ad Postas universales, quæ se per totum Imperium extendunt, pertinent. Sed sunt præter istas in Germania Postæ, quæ *provinciales*, Landposten / vocantur, & à Principibus ac Comitibus Imperii in terris suæ ditionis excitari solent: quibus etiam adnumerandæ Postæ civitatum Imperialium, die *Stadtposten und Nebenposten* / quæ sæpius etiam per contemptum die *Reggerposten* nuncupantur, propterea quòd à laniis, ad coëmendos boves hinc inde super equis discurrere solitis, in multis civitatibus, ut apud nos Ulmæ, exercentur. Verùm jurene hanc sibi potestatem tribuant Status, non est omni ex parte expeditum. Obnituntur enim non leviter Cæsarearum partium asseclæ, qui sic Imperatoris ma-

E

jest-

jestatem minni, & eludi jura illi reservata contendunt: neque enim unquam jus illud statibus aut civitatibus concessum, sed econtra variis Imperatorum mandatis jam inde ab Anno 1578. eo civitatibus, cum illud subinde usurparent, interdictum reperiri; quam in rem extant Ferdinandi II. aliquot rescripta, ut Ann. 1624. darin den Städten Cöllen / Nürnberg / und Franckfurt ernstlich auffgelegt und befohlen wird / daß sie die eingeschlichene reitende Boten / so zu Abbruch des Postregals / entgegen und zuwider so vieler Käyserlichen inhibitionen sich in erst gedachten Städten de facto eingedrungen / alsbald / und zwar bey Käyserl. Ungnad / wiederumb abschaffen sollen: quæ cum aliis ejusdem generis collegit Hornick. *dict. Tract. de Jure Post. cap. XIX. Theorem. I.* ubi & scriptum, quo rationes omnes, quæ contra civitates Imperii faciunt, congestæ sunt, cui titulus, rechtmäßige Anzüge / warum in den Reichs-Städten / da ordentliche dem Röm. Käyser verpflichtete Posten angerichtet sind / alle Nebenboten Werck / mit derselben directoriis und directoren abzustellen / und das im Monat Augusto des 1635. Jahrs publicirt General patent bey Kräfften zu erhalten und zu manutenuiren sey. Veruntamen his non obstantibus facultatem Postas intra suum quisque territorium instituendi sibi vindicant Status, ac re ipsa exercent. De Principibus quidem ac Comitibus Imperii minus laborandum nobis esse puto, cum de civitatibus tota sit Cæsareorum mandatorum querela: forsan ideo, quod illis in suis provinciis difficilius, his facilius imperetur, quodque inter istas ob mercaturæ frequentiam majus sit literarum commercium. Sed ex æquo rem æstimanti nulli Statuum intra sui territorii limites cursum ac tabellarios publicos habendi jus negandum esse videtur: tum ob sublime illud, quo gaudent, jus superioritatis territorialis, quæ potestas est summæ majestatis æmula, atque omnia, quæ ad rempublicam administrandam pertinent, complectens, ut qua ratione à summa illa legibusque soluta potestate, quam majestatem vocant, differat, vix appareat: tum quod bellicis pacisque & commerciorum ac foederum jura, quæ Statibus singulis ex antiquo competunt, sine Cursu hoc publico rectè expedi-

pedi-

pediri & exerceri non possint : constat autem, concessio jure aliquo, simul omne id concessum videri, sine quo illud commodè nequit exerceri, *l. 2. ff. de Jurisd.* Atque hæc etiam ratio est, quòd jam inde ab hominum memoria Cursus ejusmodi intra suam quisque ditionem, Status pro arbitrio disposuerint, licèt hoc ipsum expressa lege nusquam iis tributum aut confirmatum inveniatur : qua de re videri possunt *des Ehurf. Collegii außführliches Gutachten an Kayser Ferdin. II. sub dato den 27. Jan. Anno 1637. die Beschaffenheit des Postwesens betreffende / welches dahin gehet / daß denen Ständen des Reichs in ihren territoriis, krafft derer Regalien / damit sie von dem Reich beliehen / dißfalls Anordnung zu machen frey stehe. Literæ Stat. Circ. Saxon. Infer. apud Fritschium part. II. Elect. Jur. publ. cap. XI. num. 4. Mævius part. I. Decis. CI. & CLXXIV. n. 1.* Accedit, quòd Postarum jus ad angariarum & parangariarum jura, statibus tributa, commodè referri queat : cùm & apud Romanos angariam, seu clabularem, cursum publici speciem fuisse ex iis, quæ suprâ prolata sunt, pateat. Est quippe Postarum institutum, uti nunc est, recens in Germania, utpote quod centum & quinquaginta annos vix excedit, ut olim hoc inter alia jura Statibus nominatim conferri non potuerit. Enimverò Recessus Imperii Carolo V. Imperatore promulgati Postarum quidem faciunt mentionem, sed earum, quæ ad tempus solùm & conventuū publicorum causa fuerunt constitutæ, quinimò in Comitibus Spirensibus Anno 1541. habitis disertè Postarum commodis in locis collocandarum potestatem Statibus universis legimus tributam. Damit man auch iederzeit / zu und von dem Ersten / der Nohtdurfft nach Botschafft habe / wollen gemeine Stände Ordnung geben / daß derhalben ein Post an gelegene Wahlstatt gelegt / und unterhalten werde : ut habet *Recessus, §. 45.* Confirmat hanc sententiam, quòd ipse Imperator in terris suis hereditariis, etiam Austriacis, quæ Imperii Germanici pars sunt, peculiarem Cursum publicum, illique præpositum Magistrum habeat, à Postis Imperii nulla ratione pendentem ; quod munus ab Imperatoribus feudi quoque titulo acce-

prum jam à multis annis exercent Barones à Paar, ideoque se vocat is, qui est in hoc officio, den Obristen Erb-Land-Hoff-Postmeister. Inter hunc igitur & Comitem à Taxis orta annis superioribus & magna utrinque contentione agitata est controversia: Num aula Cæsarea in Urbe Imperiali (e. gr. Ratisbonæ, ubi tunc Imperator commorabatur,) subsistente literas colligendi, recipiendi mittendique cura, quodque illi adhæret emolumentum, ad Comitem à Taxis, ut Postarum Præfectum per Imperium, an verò ad Baronem à Paar, ut Præfectum postarum aulae Cæsareæ, per Hungariam, Bohemiam & Austriam pertineat? seu, quod eodem recidit; Utrum jus illud regale postas administrandi, utrique horum Præfectorum concessum, literarum & personarum qualitate, an locorum ac provinciarum limitibus distinguatur? Contendit enim Baro à Paar, Munus hoc sibi in Aula Cæsarea, ubicunque illa locorum degat, ad exemplum reliquorum officialium expediendum esse. Huc facit, quòd & apud veteres Imperatores Rom. tam in Oriente, quàm in Occidente Curiosum cursus publici præsentalem fuisse, sub Magistro officiorum, ex *Imperii Notitia* discamus; qui *Curiosus presentalis* seu *in presenti*, dictus est, quòd in comitatu Principis semper & ubicunque locorum præsens esset, ibique Cursus publici curam gereret, non Constantinopoli solùm aut Romæ, sed & aliis in locis ac civitatibus, ut Mediolani, quod docet *l. 2. C. Th. de Curiosis*. Econtra Comes à Taxis in curandis Postis extra Provincias Austriacas nullum se in Imperio socium admittere, Munusque Baronis à Paar intra terrarum hereditariarum limites concludi, cum ex literis investituræ, tum aliis pluribus argumentis demonstrare satagit. Lis hæc tandem A. 1640. Judicii Aulici decreto ita est composita, ut aula Cæsareâ extra limites ditionum Austriac. degente Baro à Paar tantùm literarum Imperialium atque eorum, qui sunt in Comitatu Cæsaris, curam susciperet, reliquas omnes, ut Principum Imperii, eorumque, quos in comitatu habent, ut & Legatorum, mercatorum, aliorumque Magister postarum cujusque loci, à Comite à Taxis constitutus, curaret. Quâ tamen sententiâ

tiâ, fatis, ut videtur, æqua, & Imperatoris nòmine, cujus solius est concessiones suas interpretari, *l. ult. de legib.* lata, non acquievere Taxiani, ut fusiùs exponit Hornick, in Taxianas tamen partes pronus, *dict. Tract. cap. VI. Theorem. III.* & ex hoc Lymnæus *Tom. II. addit. ad Lib. II. Jur. publ. cap. IX. n. 133.* Est & aliquid hac de re in favorem Taxiorum dispositum in Capitulatione hodierni Imp. Leopoldi §. 35. Ut itaque revertamur, unde digressi sumus; quod Archiducibus Austriæ, id etiam aliis Imperii Statibus, intra sua territoria, licere non malè colligitur. Tandem etiam Imperatores ipsi civitatibus concesserunt, ut si Postis Imperii uti commodum non esset, suos tabellarios aut veredarios, quò velent, mitterent, modò se intra modum præscriptum continerent: Jedoch dergestalt / daß von der Stadt oder Stell / da die Abfertigung beschicht / an den Ort / dahin die Reiß / es sey zu Ross oder Fuß / gehörig / ohne einige Abwechslung / und nicht mehr / dann durch ein Person oder Boten (der oder die auch kein Posthörnlein führen /) und sich anderer gemeiner Brieffen enthalten sollen / und anderer gestalt nicht verrichtet / die übertretter dessen aber mit unnachlässiger ernster Straffe angesehen werden. Quæ verba sunt Ferdinandi III. in literis ad Taxianam viduam Ann. 1637. d. 12. Aug. scriptis. Quin imò interdum & extra territorium suum jus postarum, quemadmodum & alia jura territorialia, ex speciali conventionione Status exercent: sic Elector Brandenburgicus, qui plurimas & per totam Germaniam extensas, non tamen ubique contiguas, inter se provincias possidet, per aliena territoria, veluti per Saxoniam Lipsiam usque postas instituit: Rex Sueciæ Rostochium usque per Ducatum Megapolitanum. Et nuper admodum laudatum modò Electorem Brandenburgicum extraordinariam Postam Coloniâ Agrippinâ Berolinum usque disposuisse, accepimus, cujus ope, quò se Gallicus exercitus moturus esset, actutum certior fieri posset. Denique quemvis Principem ac Rempublicam, quæ superiorem non agnoscit, intra regionis suæ terminos pro lubitu postas instituere posse, nisi fortè aliter cum vicinis convenit, dubium nullum habet. Hanc ob causam Bernenses in

Helvetia paucos abhinc annos cursum velocem per terras suas Genevam usque instituerunt, & aliarum civitatum tabellarios eâ viâ, quâ tamen longissimo tempore fuerant usi, prohibuerunt. Potest etiam iis, qui superiori parent, postarum, ut & aliorum regalium, facultas acquiri, non concessione solùm superioris, de quo jam dictum est, sed & consuetudine ac præscriptione immemoriali, cujus non minorem vim esse, quàm specialis concessionis ac privilegii, juris interpretes uno ore fatentur. Quæ sententia quoque variarum curiarum decisionibus, atque ipsius etiam Camerae Imperialis, non semel est comprobata. Quin etiam præscriptionem hanc non solùm in minoribus, sed & majoribus regalibus, ac iis, quæ Principi in signum summæ potestatis sunt reservata, locum habere Jurisperiti communiter sentiunt. Sichard. *ad tit. Cod. Nov. vectig. instit. non poss. n. 5. & 6.* Rosenthal. *de Feud. part. I. Conclus. XVI. num. 3.* Pruckmann *de Regal. cap. V. num. 98.* Menoch. *cons. 2. n. 70. & 71. vol. I.* Sixtin. *de Regal. Lib. I. cap. V. num. 144.* Klock. *cons. 44. n. 64. vol. I.*

CAPUT XI.

Postarum finis. Privilegia. Singulari securitate gaudent Stationes. Præfecti eorumq; familia peculiare forum habent, & sunt immunes ab oneribus. Possunt & vias ac stationes mutare. Cursores sunt inviolati, & à vectigalibus immunes. Equi nimio onere aut agitatione non pręgravandi.

Cursum publicum utilitatis publicæ causâ repertum esse, nemo non videt. Quanam autem illa sint commoda, quæ in publicum confert, verbis Theodorici Gothorum Regis exponere liceat, qui apud Cassiodorum *Lib. V. Epist. V.* ita de illo scribit: *Laudabile est in illa parte geminare custodiam, quam constat reipublicæ necessitatibus exquisitam. Per hanc enim & Legationum utilitas & ordinationum nostrarum celeritas explicatur. Hæc & aulicis potestatibus per varias jussiones ministrat effectum. Hæc crebris illationibus nostrum ditat ærarium: ut penè quicquid in republica geritur, cursuali ministerio compleatur. Decet proinde semper esse para-*

paratum, quod utilitatibus publicis putatur accommodum. Primò quidem, ut quàm ocyssimè nunciari possent, quæ hinc inde gererentur, & mandata Principum sine mōra perferri, cursum hunc à Persis, Græcis atque Romanis inventum receptumque esse, satis ex iis, quæ huc usque disputata sunt, liquet. Rerum successu, ut fieri solet, huic utilitati etiam aliæ sunt adjunctæ: imprimis seculo superiori, quo Postarum usus cum privatis quibusvis communicatus, ad ea, quæ quisque peregrè vellet annunciare suis, potissimum verò ad mercatorum inter se commercia commodius acceleriùs explicanda, adhiberi cœpit: ut taceam emolumenta, quæ ad fiscum inde redire possunt, & plerisque in regnis ac rebus publicis solent. Quarum rerum omnium quanta sit in publicum utilitas, quanta ad communem hominum inter se societatem ac salutem tuendam promovendamque necessitas, nemo est, qui non intelligat. Quamobrem ne quid esset, quod hanc utilitatis publicæ partem impediret, variis, ut olim Cursus publicus, sic hodiè postæ sunt munitæ privilegiis; unde jus hoc etiam in actis literisque publicis *das hochbefreyte Kaysersliche Postregal* vocari meruit. Quænam autem illa sint privilegia, sigillatim jam est exponendum. Primùm, quod stationes cursuales, in civitatibus Imperii liberis plerumque collocatas, quæ officia *die Postämpter* appellantur, earumque Præfectos spectat, est illa speciatim concessa securitas, quam vulgò *salvanguardiam* Italico nomine dicunt, Germ. *sonderbarer Schuß und Schirm*; cujus beneficio stationes illæ, earumque Præfecti cum omnibus suis facultatibus totâque familiâ sunt in singulari tutela Cæsaris ac Imperii, *dadurch sie / ihre Kinder und Güter in der Kays. Maj. und des H. Reichs Schuß und Schirm seyn sollen.* Ut qui eos easve quacunque ratione violare vel injuria pulsare fuerit ausus, gravem Cæsaris indignationem ac pœnam incurrat. Sed num Præfecti postarum cum familia sua ab ejus civitatis, ubi degunt, jurisdictione sint omninò exempti, non semel ipso facto disceptatum est. Etsi namque omnium prudentum judicio res gravis est & periculi ple-

li plena, illis in civitate libera sedem perpetuam dare, qui nullo, ne quidem clientelæ seu protectionis jure illi sunt obnoxii: favore tamen postarum tam Cæsarem, quàm Electorem Moguntinum judicasse, quòd nec in earum præfecturas, ut Imperialia feuda, nec in Præfectos, ut qui solius Imperatoris ac supremi postarum Magistri parere tenentur imperio, civitatibus quicquam juris sit, sed si quid deliquerint, eos, quos dixi, judices nancisci, patet ex iis, quæ producit Hornick *dict. Tract. de Jure Post. cap. XV. Theorem. VI. & VII.* Sunt præterea tam præfecti postarum, quàm eorum substituti atque ministri, ut scribæ & cursores, ab oneribus personalibus multisque realibus, ut hospitatione militum, excubiis, aliisque similibus, quibus Cursus publicus reddi potest impeditior, per Imperatorum rescripta, immunes. Sic enim Ferdinandus III. edicto de postis Ann. 1642. d. 3. Jan. promulgato sanxit: *Damit auch unsere Post-verwalter aller und ieder Ortē/ wo unsere Posten im H. Röm. Reich eingelegt und unterhalten werden/ umb so viel desto besser dem bestelten Postwesen abwarten / und ihnen auffgegebene Sachen und Schreiben/ so Tag so Nacht befürderen und fortführen mögen: also setzen und ordnen wir hiemit gnädigst/ daß sie von aller Belag- und Einquartierung des Kriegs-volcks zu Ross und Fuß/ wie auch aller Wacht und anderer dergleichen onerum, Kriegs-Contributionen und Auflagen gänzlich und allerdings befreyet seyn / und sie damit in keinerley Weg belegt oder beschwert werden sollen. in fin. edicti.* Eandem ob causam, ad faciliorem scilicet cursûs expeditionem, Magistris postarum tributum est, ut exigente necessitate commodoque publico stationes suas mutare, novas excitare, vias alias quærere, diem horamque abitûs ac reditûs veredariorum mutare, vel etiam duplicare liceat. Hornick. *dict. cap. XV. Theorem. XXXI. & cap. XIIIX. Theorem. IX. X. XI. XII. & XIII.* Huc quoque pertinet, quòd ipsi veredarii seu cursores publici non modò sint in singulari clientela Imperii ac Imperatoris, sed & Legatorum ad instar, quibus ob nunciandi ministerium & communia gentium inter se commercia conservanda,

vanda, non sunt abſimiles (nam etiam legati antiquis interdum nuncii, Græcis κήρυκες, Germanis nostris Botſchaffter dicti,) ubicunque locorum officii ſui cauſâ reperiuntur, ſancti ſint & inuolati, ut cenſet Hornick *dict. cap. XIIIX. Theorem. VI.* Num autem ideò, ſi deliquerint in alieno ſolo, ad ſuperiorem ſuum aut Cæſarem non Magiſtratum loci puniendi remitti debeant, quod legatorum jus eſt, non immeritò dubitatur: imò verò poſtarum miniſtros propter delictum in alieno territorio patratum à Statu Imperii, cujus ibi eſt juridiſctio, ſecundum jus commune coër- ceri puniriſque poſſe, cum hoc in caſu nullam iis exemptionem tributam reperiamus, rectè docet Mæuius *part. I. Decif. CLXXIV.* Ad ſecuritatem autem cursorum pertinet, quod quemadmodum muliones antiqui, quorum idem propè munus, quod hodiè cursorum fuit, peculiari ſago, ſeu penula, inſtruebantur, *l. 31. 48. § 50. C. Theod. de Curſu publico*: ſic iſti noſtro ævo ſagum ſuum peculiare, cum inſuto corniculo diverſi coloris, dem Poſt-Hörnlein/ ut hoc velut inſigni ab aliis veredariis equitibusve diſtinguantur, plerumque geſtare conſueverint: ſine quo ne quis eorum unquam iter eſt faciat, & ſuæ & publicæ ſecuritatis rationem ſuadere puto; quæ & tabellarios pedibus commeantes inſigni illo ſcutulo, quod *pyxidem die Botenbüchſen* vocant, munire docuit: de quo vid. Wehner *in Obſervat. V. Botenbüchſen*: & fuiſſe morem hunc jam antiquitus receptum ex Nic. Ulpono Anglo, veteri Jct. docet du Fresne *in Gloſſario. V. cursores*. Sunt & alia cursoribus publicis tributa privilegia, ut quòd à vectigalibus, potiffimum pedagio, dem Weg-Gelt/ & hoſpitatione militum ſint immunes. Hornick *dict. Tract. cap. XIIIX. Theorem. IV. § V.* quòd etiam de noctu portæ oppidorum minorumque municipiorum illis ſint aperienda: quamobrem cum ad hæc appropinquant, ſignum adventus inflato corniculo dare ſolent. Verum caſtellarum, ſeu oppidorum munitorum, urbiumque majorum diverſa eſt ratio: horum enim portas noctu manere clauſas publicæ ſecuritatis intereſt. Idem *dict. cap. XIIIX. Theorem. VII. § IIX.* Quin etiam equorum curſualium favore quædam ſingulariter conſtituta reperiimus, ut

F

quòd

quòd nimio onere seu sarcina prægravari non possint, (quod & priscos Imperatores Rom. cavisse suprà docui,) neque etiam stationes, ubi equorum mutatio facienda est, prætereundo nimium fatigari & exagitari: quod & Ferdinandus Imper. laudato jam edicto de postis sanxit; ubi præcipit, daß die Currier und Postreisende Personen nicht wider den gewöhnlichen Postgebrauch zwei / oder mehr Posten ohne abwechselung der Rosse rennen ic. Die Rosse mit dem Balisen / so über 40. oder meisten 50. Pfund am Gewicht halten / nicht beschweren. Illud tandem expediti juris, equos cursuales atque cursores, sicut olim eos, qui equo publico in causa publica transvehebantur, l. 2. de in jus voc. manuum injectione, seu arresto, ut hodiè loquuntur, à proseguendo cursu suo avertere aut detinere nefas esse: si quis autem detinere ausus fuerit, damnum omne inde datum resarciat, & pœnam extra ordinem subeat, necesse est.

CAPUT XII.

Officium eorum, qui postas curant, si literas sibi commissas resignaverint, amiserint, retardaverint. Quid juris in rebus pretiosis postas traditis. Culpam cursorum & ministrorum præstant Præfecti. Equi cursuales sint parati. Merces vecturæ sit æqua. Literæ Principum summorum à vectura immunes. Novarum rerum relatio postis permittitur.

Post enarrata privilegia postarum, eorumque, quibus harum est commissa cura, videndum quoque, quodnam illorum sit officium, & quid vicissim præstare teneantur. Versatur autem horum officium potissimum in literis tutò ac celeriter mittendis perferendisque, & hominibus cursu publico utentibus deducendis. Adversus illud committitur, si fortè literæ, Cursui publico permittæ, resignentur, retardentur, admittantur. De resignante quidem literas alienas communis est pragmaticorum sententia, quòd in falsi pœnam incidat. Decian. *Tract. Crimin. part. II. Lib. LXXI. cap. XVII. num. 46.* Diaz. *in pract. Crim. Canon. cap. CIIX.* & ibi Lopez *in addit. Clarus Lib. V. sent. §. falsum.* & ibi *ajard. in addit. n. 201.* Thomingius *Decis. XXXIV.* Menoch. *de arbitr.*

arbitr. jud. quest. Cas. 538. Card. Tusch. lit. L. concl. 375. Farinac. Oper. Crimin. quest. CL. part. IV. Etenim lege Cornelia de falsis tenetur, non modò, qui falsum instrumentum scribit, componit, edit, signat; sed & qui alienum instrumentum celat, supprimit, resignat, l. 1. §. 4. l. 2. l. 16. §. fin. de falsis l. 2. C. eod. Veruntamen hîc cum Menochio, Farinacio & aliis diversi casus sunt distinguendi. Si quis enim literas Principis sui aperuerit, in quibus de re magni momenti, Principem puta vel Imperium spectante, agitur, easque hostibus exhibeat, læsæ majestatis se reum facit, utpote revelans secreta Principis, arg. l. 1. ad L. Jul. majest. sic Augustus crura effringi voluit ei, qui pecunia corruptus literas suas alteri tradidit legendas. Suet. in Aug. c. 67. Aliud est, si literæ illæ de rebus ad privatos homines pertinentibus tractent; quo casu locum habet pœna cap. cum olim X. de offic. deleg. si quis resignaverit literas magistratus aut judicis, quidam falsi pœnæ, alii pecuniariæ 500. aureorum, locum esse putant. Privatorum literas quod attinet, rursus distinctione res est expedienda. Nam si nihil ex earum resignatione sentiatur incommodi, cessare pœnam volunt: ego verò animum hîc respiciendum, & malitiam hanc extra ordinem puniendam existimo: quemadmodum & si quis resignaverit, & non legerit. Planè si sine fraude legerit aut aperuerit, ut cum ad se datas credidit, pœna cessabit. Si quis curiositate ductus aperuerit & solus legerit, nec cum quoquam communicaverit, ut stellionatus reus, arbitrariè puniendus est. Si recluserit & adversario scribentis, vel ejus ad quem datæ erant, in alterutrius horum detrimentum ostenderit, falsi pœnam incurrit: sicut is, qui instrumenta apud se deposita prodit, l. 1. §. 6. ad L. Corn. de fals. si ad scribentis injuriam divulgaverit, injuriarum se obstringit. Quòd si quis laceraverit literas alienas, vel combusserit, in eum extra ordinem est animadvertendum: sic & tabellarium, qui tædio viæ aut oneris literas abjecit, in id, quod nostra interest, conveniendum esse censet Ant. Matthæus de Crimin. ad Lib. XLIX, Dig. tit. 7. n. 7. quæ de re videndus Thoming. d. decis. 34.

cif. 34. Denique si quis literas retardaverit, nec debito tempore, cui debebantur, reddiderit, pariter in id, quod interest, obligatur, *l. ult. C. de fabric. Lib. XI.* quod & in tabellariis locum habet, qui serò nimis epistolas reddunt; nisi latronum aut hostium incursum, aliaque simili causa se tueri possint. Menoch. *dict. Cas. 538. in fin.* Est tamen expediti juris, tabellarium vel rei cursoriæ præfectum literas aut sarcinam ei, qui justam mercedem, pro vectura earum debitam, solvere recusat, retinere posse, donec fuerit satisfactum, Bald. *in L. fin. C. commod. n. 1.* ubi rationem addit, quia aurigarum & tabellariorum expensæ salvam faciunt *fardelli* (i.e. sarcinæ) causam, *arg. l. interdum 5. § seq. qui pot. in pign.* Coler. *de process. Exec. part. I. cap. II. num. 209.* Est quippe regula generalis: Rem alienam retineri posse propter impensas, in ejus utilitatem factas, §. 30. § seqq. *I. de rer. div. l. 9. §. 1. de acq. rer. dom. l. 5. de impens. in rem dot. fa.* Negusant. *de pignor. part. V. Membr. IV. num. 8.* Mollignac. *de retent. quest. 199.* Gail. *2. obs. 12.* Sed quid si, quod frequenter accidit, pecunia, gemmæ, aliæque res pretiosæ, literis aut fasciculis insertæ tabellario, seu cursori publico, traditæ sint aliò perferendæ: quæritur, cujus id fiat periculo? Equidem si casu fortuito res amissa sit, veluti si tabellario sint per vim in via ereptæ, ipse liberabitur, *l. 15. §. 1. l. 25. §. 6. l. 34. locati:* & damnum vel ad debitorem, vel ad creditorem earum rerum, pro conventionis & negotii qualitate, pertinebit. Planè si tabellarii culpa intervenerit, ut si relictâ certâ & commodâ viâ, per aliam insolitam & periculosam, transierit, aut si ejus negligentia vel imperitia res perferenda perierit, vel deterior facta sit, sarcinendum ab eo damnum esse dicendum est, *l. 9. §. 5. l. 11. §. 2. locati.* Virgil. Pignitz *quest. XLIIIX.* Berlich. *part. V. Concl. LIIIX, num. 18. § seqq.* Carpz. *p. 4. const. 41. def. 12.* Cùm enim negotium hoc in locati contractum incidat, levis in eo culpa ex natura hujus contractus præstanda venit, *d. l. 25, §. 6. 7. 8. loc. l. 5. §. 2. commod.* modò de re, quæ literis aut fasciculo immissa fuit, constet: quamobrem cauti mercatores res eas profiteri apud postarum magistros, & indicu-

lo literarum, qui sarcinae cursorum adjungi solet, inscribi curant. Ceterum certum est, nihil interesse, sive ipsius Magistri postarum, sive cursorum eorumque, quorum opera utitur, culpa damnum sit datum. Magister enim horum factum & negligentiam praestare tenetur, cum generaliter receptum sit, dominos ex famulorum, atque omnes, qui vel publico vel privato munere funguntur, ex eorum, quorum utuntur opera, delicto & culpa obligari, siquidem illi circa commissum sibi officium segniter aut malitiosè sint versati, Menoch. *de Arbitr. quest. cas. 345. & conf. 53. vol. 1.* Farin. *quest. crim. 24. n. 49. & seqq. fusè, Carpz. p. 4. const. 43. def. 7.* Klock *conf. 38. n. 28. & seq. vol. 1.* eorum quippe conditionem exploratam habere, adeoque sibi imputare debent, qui negligentes homines ad ministerium suum eligunt, *l. fin. §. 4. nautæ, caup. stab. l. 3. de publican. l. 27. §. 9. ad L. Aquil.* Quod si cursor ipse vel tabellarius publicus pecuniam, remque aliam peregrè ferendam intervertat, dilapidet, & in suos usus absumat, quæri solet; an furti teneatur? Constitutionibus quidem Electoralibus Saxonis *part. IV. const. 41. §. wenn auch ein Bot.* dispositum reperimus, tabellarium, qui vel viginti florenos interceperit, furto se & laquei poena obligare, Carpz. *add. const. 41. def. 9.* Berlich. *part. V. Conclus. LIIIX. num. 4.* Et quamvis distinguendum hîc quidam putent inter pecuniam obsignatam, & eam, quæ tabellario est numerata; atque illo tantum casu furto locum relinquunt; rectius tamen alii eandem esse utriusque facti naturam sentiunt, *per l. 7. C. de furt. l. 22. §. 7. mandati, l. 52. §. 16. de furt.* Berlich. *d. Conclus. LIIIX. num. 5. & seqq.* quanquam in hoc furti genere suspendii poenam extra Saxonis Electoratum non habere locum, post Mollerum fateatur *ibid. n. 17.* quos sequitur Carpz. *d. const. 41. def. 11.* Illud etiam ad eorum officium pertinet, quibus Cursus publici cura est commissa, ut operam dent, ne stabulis stationum, ubi equorum solet fieri mutatio, equi ad cursum apti deficient. Menoch. *de Arbitr. quest. cas. 229. in fin.* Et licet hodiè postarum usus omnibus, etiam privatis, sine discrimine conditionis, pateat, nec

ad eam rem, ut olim, speciali Principis concessionè sit opus: interdum tamen etiam commeanti & cursu hoc uti volenti præfectus stationis equum denegare potest: puta si publicis usibus aut evectioni Principis, qui supersunt, essent reservandi: vel si Princeps extra ordinem jussisset, ne cui sine diplomate Principali cursus copia fieret, quod maximè belli tempore fieri consultum est, ut prudenter monet Menoch. *dict. Cas. 229. in fin.* & Clapmar. *de Arcan. Rerump. Lib. III. cap. IV. in fin.* Denique Præfectis & administratoribus postarum imprimis cavendum, ut ne solitam vecturæ mercedem excedant, nec literarum commercium immoderatis sumtibus onerent, quod tamen frequentissimè fieri videmus: qua de re conquesti sæpè sunt Imperii Status, ut patet ex *Instrum. Pacis Art. IX. & Capitul. Leopoldi Imp. Art. XXXV. & monitis Statuum ad hunc artic.* apud Auctorem *der Grundvest des Heil. Röm. Reichs Teutscher Nation.* Quamobrem in benè constitutis regnis & civitatibus publica lege præscribi consuevit, quid in epistolam simplicem aut duplicem, quid in literarum fasciculum pro ponderis & viæ ratione ad vicinas & præcipuas civitates aut oppida vecturæ nomine solvi oporteat, ultra quod si quid exactum solutumve fuerit, indebiti conditione repeti poterit: sicut & ea pecunia, quam quis nomine literarum à mercede liberarum, quas vulgò *francatas* Italico nomine appellant, eò quòd vocula *franco* seu *franca*, i. e. libera, notari solent, ignorantia vel dolo inductus solvit. Hic silentio prætereundum non est, cùm cursus publici ratio à summa potestate pendeat, plerumque literas Principum summorum ac rerumpublicarum, ab iis, quos cursui huic præfecerunt, gratis quocunque locorum intra territorium concedentis perferri. Pari ratione literas Imperiales & præcipuorum aulae Cæsareæ ministrorum ab omni vectura immunes esse præter alia docet syngrapha Comitum à Taxis, quam in suscipiendo renovandoque postarum feudo Imperatori reddere debent, qua promittunt, *die von Ihrer Kayf. Maj. verordnete Staffeten ohne Ihrer Maj. Entgelt fortführen/ die an und von Ihrer Kayf. Maj. und*

und deroſelben Nachkommen am Reich / wie auch Ihrer Maj. und
des Reichs Erz- und vice-Canzlers Geheimbden und Reichs-Hoff-
rätthen / auch anderer dero hohen Officier abgehende Brieff treulich
und ohne Abforderung einiger Tax oder Brieff-Gelds überlieffe-
ren / und ſonſten mit Einnehmung erſtermeltes Brieff-Gelds wider
gebühr niemand beſchweren: *ex literis promiſſoriis, ſeu reverſa-
libus, ut loquuntur, Comitis Lamoralis à Taxis, apud Hornik.
Tract. de jure Poſt. cap. VI. Theor. I.* Novorum tandem cura, qui-
bus, quicquid ubique terrarum ſcitu dignum accidit, perſcribi ty-
piſque mandari ſingulis plerumque hebdomadis ſolet, ad poſtas
earumque Præfectos pertinet: qua tamen in re ſingulari pruden-
tia opus eſt, ne quid in vulgus ſpargatur, quod publicam tran-
quillitatem turbare, aut civitati vel Principi ſcribentis fraudi eſſe poſ-
ſit. Num antem hâc ratione falſa pro veris divulgare liceat, ſi id
è re Imperii vel Reipublicæ videatur, jucundæ diſquiſitionis quæ-
ſtio eſt, & in morali civiliſque diſciplina frequenter in utramque
partem agitata: quam, quoniam modum huic diſſertationi pro-
poſitum dudum exceſſiſſe me video, jam inexcuffam relinquo,
atque illud ſaltem coronidis loco addo; affirmantium ſententi-
am, quam & quotidianus rerum uſus confirmat, ſi limites hone-
ſtatis non egrediatur, rationum pondere longè ſuperiorem
videri; quare meum quoque calculum illi
addere non dubito.

DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I. *Res ſacræ, cultui divino ſemel, licet ſuperſtitioſè, dicatæ,
à Principe vel Magiſtratu ad uſum profanum transferri non poſſunt.*

II. *Non ſine ratione venandi jus hodiè Principes ſibi vindicant.
Nec iniquum, ut interdum capite luat, qui contra Principis probi-
bitionem venatur.*

III. *Valida eſt de jure donatio omnium bonorum, tam præſenti-
um, quàm futurorum.*

IV. Ma-

IV. Maritus constante matrimonio est dominus dotis, non uxor.

V. Filius familias ne de iis quidem bonis adventitiis, quorum ususfructus patri non acquiritur, potest testari.

VI. Liberi in conditione (si sine liberis decesserit) positi, non censentur esse in dispositione: adeoq; non ex testamento, sed excluso substituto succedunt ab intestato.

VII. Si post contractum mutuum monetæ bonitas intrinseca, id est, materia, mutata sit, in solvendo tempus contractus: si extrinseca, id est, valor impositivus, tempus solutionis spectari oportet.

VIII. Ante diem etiam invito creditori solvi potest, quod in diem debetur.

IX. Furtum non est, ubi deficit animus lucrificandi.

X. Filius in causa Patris, & Pater in causa filii iudex esse potest.

XI. Depositarius propter impensas necessarias retinere depositum jure non prohibetur.

XII. A contractu emtionis venditionis perfecto emtori, nec sub amissione arrharum, invito altero, recedere licet.

XIII. Fides etiam hosti, hæretico & infideli data, est servanda.

XIV. Princeps majorum suorum legibus non obligatur, multò minus suis: pacta tamen conventa non secus ac privatus servare tenetur.

XV. Etiam in qua principum jussa magistratum exequi decet, modo divinis & naturæ legibus non sint contraria.

XVI. Magistratui vim inferenti privatus non aliter impunè restit, quàm si suæ jurisdictionis limites transcenderit.



VDTZ

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AMERICANO
 COURSU
 BJSQU
 ADSPIRANTE
 AMALIS SIMI
 ANNA
 ANNA
 PATRONO & PATRO
 ANNIS CORR
 FRANC. QUART
 Typis Jaco

ob
 me
 qu
 lud
 ver
 con
 ven
 vis
 ter
 fac
 te
 bli
 &
 no
 ju
 pa
 su
 bu

